

## CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Optat et hortatur Colossenses, ut radicentur et firmentur in fide et charitate Christi.*

*Secundo, vers. 8, Judaizantium et pseudophilosophorum somnia opponit Christum, in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitat. Per Christum enim nos circumcisos esse docet, non carne, sed spiritu, cum ei consepulti in baptismo mortui sumus delictis.*

*Hinc tertio, vers. 14, docet Christum delevisse chirographum peccati, illudque officisse cruci, ubique triumphasse de peccatis et demonibus; ac consequenter Judaicas abstinentias et caeremonias quasi umbras inutiles abrogasse.*

*Denique, vers. 18, non fictam angelorum in superstitiosa humilitate et abstinentia, sed veram Christi unius mediatoris religionem sectandam esse decernit.*

1. Volo enim vos seire qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro iis qui sunt Laodicæ, et quicumque non viderunt faciem meam in carne: 2. ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu: 3. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. 4. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. 5. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. 6. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, 7. radicati et superedificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. 8. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum: 9. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: 10. et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis: 11. in quo et circumcisi estis circumcissione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcissione Christi: 12. consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. 13. Et vos cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: 14. delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: 15. et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. 16. Nemo ergo vos judicat in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: 17. quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi. 18. Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ: 19. et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. 20. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? 21. Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis: 22. quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum: 23. quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

4. VOLO ENIM VOS SCIRE QUALEM SOLLICITUDINEM HABEAM PRO VOBIS. — Vox « enim » dat causam, cur cap. præced. vers. ult., dixerit se pro fidelibus laborare ἀγωνίζομαι, id est in agone certando:

unde hic rursum pro « sollicitudinem, » Græce est ἀγωνία, q. d. Ideo memini et inculco meum agone, laborem, ac difficile certamen, quod pro vobis aliisque fidelibus suscepi, « ut conso-

lentur » et firmentur corda vestra in fide et gratia Christi.

PRO VOBIS ET PRO IIS QUI SUNT LAODICÆ, ET QUICUMQUE (quod quot alii) NON VIDERUNT FACIEM MEAM IN CARNE. — Hinc satis apparet Paulum non fuisse, nec prædicasse Colossos aut Laodicæ. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Negat id Theodoretus, et ex eo Baronius, sicque hæc verba explicant, q. d. Paulus: Non solum vestrum, o Colossenses, sed et eorum, qui me non viderunt, proximam curam gero. Verum aliud videtur velle Apostolus. Quorsum enim hic meminisset eorum, qui non viderant faciem suam in carne, nisi quia eam non viderant Colossenses et Laodicenses? et hoc significat Græcum ἅπασι, quod Syrus vertit cæteri, sive quicumque alii, qui æque ut vos non viderunt faciem meam. Sicut enim si dicam: Petrus, Paulus et cæteri Apostoli fuerunt oculibet, facile dico non tantum Petrum et Paulum fuisse oculibet, sed etiam fuisse Apostolos; hoc enim involvit vox cæteri: ita pari modo cum hic dicit Paulus se sollicitum esse pro Colossensibus et Laodicænsibus, et cæteris qui non viderunt faciem suam, facile significat Colossenses et Laodicenses non vidisse faciem suam. Adde, in Actis Apostolorum nullam Colossensium, æque ut Corinthiorum, Ephesiorum, Atheniensium et aliorum, quibus Paulus prædicavit, fieri mentionem. Nec enim locus ille Actor. XIX, 10, quem citat Baronius, urget. Sic enim habet: « Segregavit (Paulus Ephesi commorans) discipulos quotidie disputans in schola tyranni cujusdam, hoc autem factum est per biennium; ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judei atque Gentiles. » Nec enim hinc inferas, si omnes in Asia a Paulo audiverunt verbum Dei, ergo illud audiverunt et Colossenses et Laodicenses, qui in Asia habitant; nam non dixit Lucas Paulum ivisse Colossas aut Laodicæm, imo contrarium dicit, Paulum mansisse Ephesi, ibique disputasse per biennium in schola tyranni, ita ut Asiani omnes, qui vel habitabant, vel veniebant Ephesum tanquam ad Asiæ metropolim, possent Paulum ibi disputantem audire: adeo ut Pauli Ephesi disputantis et prædicantis rumor totam Asiam pervaserit.

2. UT CONSOLENTUR, — id est consolationem accipiant: Græcum enim παρακληθῆναι est passivum.

CORDA IPSORUM, INSTRUCTI IN CHARITATE, — id est cum fuerint instructi, vel, ut alii ex Græco vertunt, compacti in charitate. Græce enim est magis congrua syntaxis: ἀποὶν συμπλασθέντων, id est ipsorum mstructorum vel compactorum in charitate. Ita Theophylactus.

ET IN OMNES DIVITIAS PLENITUDINIS INTELLECTUS, IN AGNITIONEM MYSTERII DEI PATRIS ET CHRISTI JESU.

— Nota primo: Per « divitias » Paulus significat non opes auri et argenti, sed quamlibet copiam et abundantiam vel gratiæ, vel sapientiæ et intellectus de qua hic loquitur.

Secundo, pro « plenitudinis intellectus, » Græce est πληροπέπτης (de qua voce dixi Roman. XIV, 8) ἡ ἀνοήτως, id est plene persuasionis intelligentiæ, id est plene et certo persuasæ intelligentiæ, quæ omnè dubium excludat. ait Theophylactus, q. d. Ideo laboro, certo et sollicitus sum pro vobis, ut vos instruamini tum charitate, tum divitiis, id est abundantia plene persuasionis, hoc est plene persuasæ intelligentiæ mysteriorum fidei: ut scilicet in omnibus mysteriis fidei, quæ pertinent ad agnitionem Dei Patris et Christi Jesu, instructi et plene persuasi, planeque intelligentes sitis, nihilque de iis ambigatis; ut certo vobis persuasum sit, nos non per angelos, ut vobis persuasum Simoniani vel alii Novantes, sed per Christum redemptos et reconciliatos esse Deo Patri.

3. IN QUO (scilicet Christo) SUNT OMNES THESAURI SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ ABSCONDITI. — Nota Chrysostomus hoc dicit contra Gnosticos a scientia se nominantes et venditantes. Gnostici enim græce idem est quod scientes, q. d. In Christo est omnis vera sapientia, et ab illo petenda, non a Simone, non a Gnosticis, non etiam ab angelis, quos ipsi jactant. Cum dicit Apostolus thesauri, ait ex Chrysostomo Theophylactus, copiam sapientiæ in Christo ostendit: cum dicit absconditi, indicat quod solus ipse eos noverit, ab eoque scientiæ et sapientiæ omnis petenda sit: nam Christus est ipsa sapientia et per sese cognitio.

Nota: Pro absconditi, Græce est ἀπόκρυφα, quod non est participium, sed nomen, idemque est quod occulti et arcani: « absconditi » ergo hic dem significat et capitur nominaliter.

4. HOC DICO, UT NEMO VOS DECIPIAT IN SUBLIMITATE SERMONUM. — Pro decipiat, Græce est παραλογίζομαι, id est, ut Vatablus, falsis rationibus et rotiocinationibus imponat vobis. Syllogismo enim vero et bono opponitur apud Aristotelem paralogismus, qui ex apparentibus, sed falsis, falsum concludit; aut ex veris falsum, per vitiosam consequentiam elicit et deducit.

Secundo, pro sublimitate sermonum, est Græce ὑψηλολογία, id est in persuasorio sermone, in specioso fuce rationis humanæ, in artificiosa et sophistica oratione, quæ in speciem probabilis ad persuadendum et fallendum sit comparata et composita. Ita Theophylactus Noster vertit, in sublimitate sermonis, quia Simoniani, quos hic suggillat Apostolus, sublimia jactabant de cælo, de matre angelorum, de angelis rebuseque et æonibus celestibus, quibus simplices in admirationem rapiabant et seducebant.

Talis est pithanologia et fucata oratio nostrum Novantium, ut per dulces sermones sed ceant corda innocentium, si enim ipsorum rationes a viro cordato ad rationem ac formam syllogisticam redigantur, statim apparent non esse aliud quam paralogismi; v. g. cum sic argumen-



Sanctur: Solus Deus est adorandus, ergo non sunt adoranda. id est colende, imagines et Sancti; paralogizant. Peccant enim amphibolia vocis, « adorandus: » in antecedente enim intelligitur adoratio proprie dicta, quæ est latriæ; in consequente vero adoratio impropria et amplissime sumpta, scilicet quisvis pius cultus et honor. Sic: Unus, inquit, est mediator Christus, ergo Sancti non sunt mediatores, nec invocandi. Sed paralogizant: in antecedente enim intelligitur mediator per se, sive redemptor; in consequente vero mediator idem est quod intercessor, sive advocatus. Ita in reliquis omnibus.

Aggreditur hic Apostolus potissimum epistolæ argumentum, scilicet elidere dogmata falsa hæreticorum et Judaizantium, et contra ea corroborare Colossenses in vera fide Christi.

3. ETSI CORPORE ABSENS SUM, SED SPIRITU VOBISUM SUM: GAUDENS ET VIDENS ORDINEM VESTRUM, ET FIRMAMENTUM FIDEI VESTRE. — q. d. Licet absens sim corpore, spirituali tamen oculo et cura vobiscum sum, quia spiritu et mente vos sepe contemplantur, vestrumque ordinem (de quo multa inaudivi) cum gaudio intueor.

Secundo, Ambrosius et Anselmus magis proprie hæc accipiunt de spiritu prophetico, quasi per eum Paulus cognoverit absentia quæ fiebant Colossis, eaque viderit, eodem modo quo Eliseus corpore absens, sed spiritu præsens, vidit Giezi accipientem munera a Naaman: si enim Eliseo id datum est, cur non Paulo? Major enim gratia fuit in Apostolis et Prophetis novi Testamenti, quam in veteribus Prophetis, et similem spiritum constat fuisse in S. Petro, cum absens cognovit fraudem Ananie et Sapphira, *Act. v. 3, q. d.* Nihil vestrum me latet, o Colossenses, quia vobis adsum spiritu, eminens quasi omnino intueor omnia vestra, et quidquid facitis inspicio, ut revereamini in oculis meis meoque intuitu male agere, aut male sentire vel loqui de Evangelio, nec novantibus Simonianis auscultetis, aut inconstantiam et dubitationem ullam in fide ostendatis. Hic sensus et sententia non est improbabilis, si spiritum accipias non permanentem (hunc enim fuisse in Apostolo non est verisimile), sed transcurrentem, quo subinde, cum opus esset, Paulus raptus fuerit, ut suarum Ecclesiarum statum et ordinem absens intueretur. Sed prior sensus uti simplicior, ita certior est.

GAUDENS ET VIDENS ORDINEM VESTRUM. — Per « ordinem: » Ambrosius accipit dispositionem conversationis. Magnus Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, ἄνω, id est ordinem, interpretantur ἄνωθεν, id est bonum ordinem, quo bene et ordinate omnia fiunt juxta ordinem a Paulo aut Episcopo præscriptum. « Sicut enim, inquit Theophylactus, in acie militari bona ordinis collocatio phalangem firmam efficit: sic et in Ecclesia, quanto bonus ordo charitatis fuerit omnia constituentis. »

Quantum sit hujus ordinis bonum et commodum, patet in omni republica: nulla enim publica sine ordine consistere potest; sed ut consistat, necesse est civis magistratui subordinari et obedire, et quamque civem suum servare gratum et ordinem: quod si hic ordo turbetur, turbatur republica.

Secundo, idem patet in hierarchia cælestium spirituum et angelorum, in qua summus est ordo, qui rempublicam angelorum consociat, stabilis, conservat et mira pulchritudine exornat.

Tertio, patet in ordinato motu et situ cælorum, stellarum, elementorum omniumque creaturarum ac totius universi: si enim hic ordo turbetur, turbatur totum universum; nam ordo universi totus est vinculum et salus. « Ordinis perturbatio, ait Nazianzenus, orat. *De Moderat. in disp. servanda*, in ære fulmina, in terra succensiones, in mari exundationes, in urbis et familiaris bella, in corporibus morbos, in animis peccata quasi novas res moliendo introduxit, » etc. Omnia, inquit Sapiens, *Sap. xi. 21*, in mensura, et numero, et pondere disposuisti, « o Domine creator omnium! De qua sententia Sapiens, vide S. Augustinum, lib. *IV de Genesi ad litt.*, cap. *iv, v, tom. IV*, et S. Thomas, *I part. Quæst. V. art. 3*, ubi ex S. Augustino docet omnem rem sive omne bonum habere primo, mensuram, quam omni rei certum modum ex determinatione principiorum suorum efficiuntium et materialium præstat; secundo, habere numerum, qui cuique rei speciem præbeat; tertio, habere pondus, id est ordinem et inclinationem ad actus et finem suum; quod pondus rem ipsam ad suum quietem et stabilitatem trahit. Hoc significare volens Plato in *Timæo* dicit mundum factum esse per cubum ternarii, id est per 27; tria enim in se ducta, id est ter tria, faciunt novem, rursum ter 9 faciunt 27, qui est et vocatur cubus ternarii. Per hunc ergo cubum, puta per viginti septem, mundum esse factum censuit Plato, qui in hoc cubo, puta 27, omnis harmonia et consonantia (numerorum) consistit.

Quia ergo tanta boni ordinis sum commoda, hæc toties Apostolus ordinem inculcat, eumque in omnibus servari vult. Hinc et S. Ignatius proximus Apostolis, eorumque spiritu et zelo imbutus, in suis epistolis toties et tam impetive hæc ordinem commendat et præcipit, ut epist. *ad Trallianos*: « Qui, ait, intra altare est, mundus est, ideo et obedit Episcopo et Presbyteris: qui vero extra est, id est qui sine Episcopo et Presbyteris et Diaconis aliquid agit, talis polluta est conscientia, et est infideli deterior. » Et *ad Smyrnenses*: « Omnia, ait, in vobis decenti ordine perficiantur in Christo. Laici Diaconis subditi sint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri. » Eadem singularis pene epistolis repetit et inculcat S. Ignatius.

Mea  
quæ  
est  
com  
in  
na

Offen  
versu  
vivo  
lan  
«  
sila

Quid  
moran  
nosum  
et præ  
in om  
ni

Moran  
factus  
per  
ca  
hæ  
ter  
nari

Arceoli  
fistat  
Eliez  
derret  
Arceoli

6. SICUT ERGO ACCEPTISTIS JESUM CHRISTUM DOMINUM (q. d. Sicut ab Epaphra et Archippo accessit fidem et doctrinam Jesu Christo, præsertim illam, qua edocti esset Iesum Christum esse Dominum ac redemptorem nostrum, non autem angelos, ita) IN IPSO AMBULATE. — Christus enim est via quæ ducit ad Patrem, non angeli, inquit Chrysostomus, « In ipso » ergo, id est in ipsius fide et institutione « ambulate. » Christus enim sumitur pro adjunctis, puta pro fide, doctrina et vita Christi, juxta *Cor. 37*. Vult Paulus antiquam, et a Christo et ab Apostolis traditam fidem non sequi, nec audire Novantes.

7. RADICATI ET SUPEREDIFICATI IN IPSO. — Pendent hæc a præcedentibus, « in ipso ambulate, » q. d. Sic ambulate in fide et institutione Christi, ut in ea firmas et fixas habeatis radices, illique superedificemini. Græcum enim ἐκκεδαινωμαι, non est præferri, sed præsentis temporis: unde non tam « superedificati, » significat, quam « ut superedificemini, » vel ut collapsi non nihil restuamini. Ita Theophylactus.

Nota hic triplicem metaphoram et comparationem. Primo enim Christum, et Christi fidem comparat vie in qua sit ambulandum; secundo, radici cui inseri et in hæreere nos oporteat; tertio, fundamento cui superedificari debeamus. Simili modo, *Ephes. cap. II, 20*, dicit: « Superedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo. » Et *cap. III, 17*: « Christum, ait, habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicali et fundati. »

ABUNDANTES IN ILLO (in Christo scilicet, id est Christi fide, gratia, charitate aliisque virtutibus) IX (id est eum) GRATIARUM ACTIONE, — pro tantis Dei beneficiis, quæ per Christum vobis præstitit. Ita Anselmus.

8. VIDETE NE QUIS VOS DECIPIAT PER PHILOSOPHIAM. — Hædit ad vers. 4, ubi principale argumentum et causam epistolæ tractare cepit, scilicet ut dehortetur Colossenses primo ab heresi Philosophorum, deinde inferius a secta Judaizantium. « Apostolus, inquit Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. *vii*, et lib. *De Anima*, cap. *iii*, fuerat Athenis, ibique expertus linguarum civitatem; cum omnes illic sapientiæ atque faciundæ capones degustasset, inde concepit premonitorium istud edictum. »

Nota: *Pro decipiat*, Græce est ἀπαγορεύω, id est deprædatur. Ita Syrus, Theophylactus, Ambrosius. Unde Hilarius, lib. *XI De Trinit.*, legit, *spoliis*. Simonianus ergo, et ab eis prognatus Gnosticos aliosque hereticos, vocat prædones Paulus, uti et Christus, *Joan. x. 8*. Et merito. Si enim prædo est, qui bona fortunæ auferit et prædatur; multo magis prædo est, qui fidem veram, gratiam, virtutes omnes, imo Christum et Deum ipsum nobis auferit et prædatur; quique non corpus, sed animam ipsam interimit, illamque prædoni

diabolo et æternæ morti devorandam tradit. Est ergo hæc deprædatio immane sacrilegium: sicut enim sacrilegi, qui templa deprædantur, atriis lætæque dicuntur, ita et a Paulo hic eodem nomine vocantur illi, qui animas ad imaginem Dei factas Deoque consecratas per heresim deprædantur, easque diabolo vendunt et mancipant.

PER PHILOSOPHIAM, ET INANEM FALLACIAM. — « Et » significat *id est*. Sic et pro *id est* capitur *Galat. vi. 16*, et alibi, ut ibi dixi, q. d. Non omnem philosophiam damno (uti perperam intellexit Lutherus), sed eam que sit inanis fallacia et superstitio gentilitatis. Unde hæc philosophiam, *I Timoth. cap. ult.*, vers. 20, vocat « falsi nominis scientiam; » uti erant ille angelorum seu deorum quorundam mediolorum et mediatorum speculationes, quibus refert sum Platoniorum libri. Ita Chrysostomus et Augustinus, lib. *VIII De Civit. Dei*, cap. *ix* et *xvii*. Quantum Clemens, lib. *I Strom.*, hic tantum damnam per philosophiam Epicuri, que tollit providentiam et in deorum numerum refert voluplatem.

Secundo, Paulus hic perstringit Apollonium Thyaneum et alios Philosophos, qui hoc tempore æque ut Apostoli orbem circuibant, ut populum a Christo ad se et sua dogmata traderent, ut dixi *I Corinth. 1, 20*.

Tertio, taxat Simonem Magum cum suis, quæ primus fuit heresiarcha et omnium Novatorum parens.

Hinc patet Simonem aliosque tunc Novantes sua dogmata ex fragmentis Platonis et aliorum Philosophorum quasi centonem consarcinasse. Unde Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. *iii*, Philosophos appellat patriarchas hæreticorum. Idem, lib. *De Præscript.*, cap. *vii*: « Hereses, ait, a philosophia subornantur. Inde Æones et formæ nescio que, et Trinitas hominis apud Valentinum; Platonius fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate, a Stoicis venerat. Et uti anima interire dicitur, ab Epicureis observatur. Et ut carnis restituito negetur, de una omnia Philosophorum schola sumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit: eadem materia apud hereticos velintantur, iidem retractatus impliantur. »

Magis particulatim et fuse ireneus, lib. *II Contra hæreses*, cap. *xix*, recenset quæ dogmata a quo Philosopho mutuati sint Valentiniani et Gnostici: « Thales quidem Milesius, ait, universorum generationem et initium aquam dixit (idem autem est dicere aquam et bythum, id est profundum, quod inter suos Æones statunt Valentiniani). Homerus autem poëta Oceanum deorum genesim et matrem Thein dogmatizavit, quæ quidem hî in bythum et Sigen transtulerunt. Anaximander autem hoc quod immensum est, omnium initium subjeicit, seminaliter habens in semetipso omnium genesim, ex quo immensus mundos constare

Quam  
philoso  
phiam  
damno  
Apostol.

Philoso  
phi  
fuer  
unt pa  
triarcha  
hæretico  
rum, qui  
quorund



at; hoc autem in bythum et Æonem transfiguraverunt. Anaxagoras autem, qui et Atheus cognominatus est, dogmatizavit facta animalia, decidentibus et cælo in terram seminibus, indeque Æonem quem Sempus vocare, acceperunt. Sic ex Democriti et Epicuri vœno, et atomis ejusdem, suum sumperunt Pleroma. » Et inferius: « Hoc autem quod ex subjecta materia dicitur fabricatorem fecisse mundum, et Anaxagoras, et Empedocles, et Plato primi iute hos dixerunt. » Deinde quod Deum necessitatis servum facerent, id eos ex falso Stoicorum accepisse docet. Et post pauca subdit: « Quod autem Salvatorem ex omnibus factum Æonibus esse dicant, omnibus in eum deponentibus velut florem suum, et hesiodi Pandora acceperunt. Ipsam autem eduliorum et reliquarum operationum indifferentem sentiant, et quod putent a nemine in totum se posse coquinari propter generositatem, licet quodque manducant vel operentur, a Cynicis possederunt, cum sint cum eis ejusdem testamenti. Minutillorum autem et subtilitatem circa questiones, cum sit Aristotelem, inferre fidei conantur. Quod autem velint in numeros transferre universum, a Pythagorice acceperunt. »

SECUNDUM TRADITIONEM HOMINUM, SECUNDUM ELEMENTA MUNDI, ET NON SECUNDUM CHRISTUM, — *q. d.* Philosophia hæc sive inanis fallacia, quam hic damno, non est a Deo (qui est veracissimus, ipsaque veritas) revelata aut inspirata, sed ab hominibus vanis et errantibus conficta et tradita; ideoque vana, errans, mendax et fallax est.

Talia sunt axiomata et principia veterum Philosophorum, quæ fidei nostræ repugnant, v. g. nihil nihil fit: A privatione ad habitum non regressus: Accidentis esse est inesse: Mundus æternus: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Omnis substantia maxime rationalis, per se subsistit. Hæc enim, uno excepto, in naturalibus vera sunt, non autem in supernaturalibus; alioqui enim ex primo tolleretur (uti nonnulli sustulerunt) rerum creatio; ex secundo tolleretur miracula Christi, quibus cæcos, surdos, claudos visui, auditui et gressui resituit; et tertio tolleretur veritas corporis Christi in Eucharistia; quartum negat mundi originem; ex quinto elidetur mysterium SS. Trinitatis; ex sexto enervaretur mysterium incarnationis et inanis hypostasæ. Quamquam proprie Apostolus non de his, sed de aliis Simonianorum principis et traditionibus loquatur, uti mox dicam.

Secundo, hæc philosophia, quam damno, est a secundum elementa mundi, » id est secundum rudimenta vane philosophiæ: circa mundi productionem et gubernationem, verbi gratia, Platonis et Platoniceorum, qui doxerunt angelos mundam condidisse et esse hominum mediatores apud Deum, rursus cælos et astra esse animata, aliæque similia: quos secutus Simon Magus finxit se Deum quemdam esse, ac primo genuisse Sele-

nem uxorem suam, eamque quasi primam mentis sue conceptionem vocavit Enneam, asserens hanc esse matrem omnium, fecisseque angelos, angelos deinde fecisse et produxisse cælos et mundum, aliæque his similia figmenta; de quibus vers. 18 et 20. Ita Irenæus, lib. I, cap. xx et xxiii, Chrysostomus, Theophylactus et alii hic.

Hinc patet Apostolum, Galat. cap. iv, vers. 3 et 9, aliter quam hic et alio sensu vocare a elementa mundi: » ibi enim « elementa mundi » vocat dies, menses et annos, qui sunt quasi principia, quibus creatus est, consistit et gubernatur mundus, quos proinde festos habebant et colebat Judæi, ut ibi dixi: hic vero « elementa mundi » vocat principia mundane sapientie et philosophiæ.

Tertio, hæc philosophia et inanis fallacia, quam damno, « non est secundum Christum, » id est non est a Christo docta et tradita, nec etiam Christum docet, Christique redemptionem, gratiam et fidem; sed a Christo vos abducit ad angelos, cælos, stellas, de quibus, ut dixi, somnia et commenta sua tradit. Hinc patet, non veram, sed falsam philosophiam ab Apostolo damari; nec enim verum vero contrariari potest, adeoque vera philosophia Christiana pietati subservit et ancillatur.

9. QUIA IN IP SO (CHRISTO) INHABITAT OMNIS PLENTUDO DIVINITATIS CORPORALITER. — Nota: « Quia » dat causam precedentium, cui scilicet dixerit cavendam esse philosophiam et Philosophos, qui homines abducunt a Christo; sequendam vero esse philosophiam et sapientiam, quam attulit et cælo et in terris docuit Christus, *q. d.* Nolo vos sequi philosophos homines errantes et mendaces, quia volo vos sequi Christum, qui est prima veritas; nam in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.

Nota secundo: Pro inhabitat, Græco est *κατοικεί*, quod non temporaliter, ut *κατοικεί*, sed perpetuam inhabitacionem significat. *Κατοικεί* enim et *κατοικεί* distinguuntur Græce, æque ac Latine *habitare* et *commorari*. Sic Petrus, *epist. I, cap. I, vers. 17*, vitam presentem vocat *κατοικεί*, id est *incolatum*. Nam, ut ait Cicero, « commorandi diversorum, non habitandi natura nobis hic dedit. » E contra *Psal. LXXXVI, 7*, cum dicitur: « Sicut lætantium omnium habitatio est in te, pro habitatio, Græce est *κατοικεί*, id est perpetua mansio.

Nota tertio: « Plenitudo divinitatis » idem est quod plena et tota divinitas, quæ in Christo homine inhabitavit. Ita Ambrosius, Theodoretus, D. Thomas, Chrysostomus cum suis. Inde consequenter colligendum relinquit Apostolus, in Christo inhabitasse omnem plenitudinem sapientie ac veritatis: hæc enim adfert et includit in se divinitas, ac consequenter Christum doctorem sapientissimum sequendum esse, non autem Philosophos. Unde S. Augustinus, *epist. 57 ad Dardaniam*, et ex eo Glossa hic « plenitudinem divinitatis » interpretantur plenam Dei cognitionem, quam

est in Christo Christique Evangelio, non autem in Mose et in umbris legis Mosaicæ. Quam expositionem ita genuinam censet Erasmus, ut priorem jam datam excludat et refutet; sed perperam: constat enim « plenitudinem divinitatis » proprie significare plenam divinitatem, non autem cognitionem Dei, licet, ut dixi, illam secum adferat divinitas.

Nota quarto: In Christo inhabitat a plenitudo divinitatis corporaliter, » id est non umbratice, sicut habitavit in propitiatorio, tabernaculo et Sacramentis legis veteris; non etiam phantastice, uti voluerunt Manichæi; non denique per accedens tantum, scilicet per motum et operationem, uti docuit Nestorius; sed a corporaliter, » id est revera, realiter et substantialiter. Hic sensus petitur ex vers. 17, ibi enim corpus opponit umbræ. Ita Prosper, *sent. 393*, et Augustinus, *epist. 57 ad Dardaniam*. Simili sensu, vers. 17, veritatem et soliditatem rerum Christianarum, per umbras legis representantem, vocat « corpus Christi. »

Secundo, « corporaliter, » quia in Christo divina natura non tantum unita est animæ, sed et corpori Christi; ita ut ex Verbo divino et humana natura corporea, una ineffabilis substantia corporea quasi composita sit, quæ est et dicitur Christus, sive Deus homo. Sic anima potest dici in homine vel in corpore humano inhabitare corporaliter. Ita S. Augustinus supra, Theodoretus, Theophylactus, D. Thomas, *III part., Quest. II, art. 9*, ad 2. Hinc ergo ruit argumentum Nestorii dicens: si Deus inhabitat in Christo, ergo in Christo sunt due hypostases, scilicet una Dei inhabitantis, altera corporis quod inhabitatur: hoc enim non sequitur. Nam in Christo se res habet uti in homine, in quo licet anima inhabitet corpus, non duas tamen, sed unam eandemque cum illo habet hypostasin: tantum enim « inhabitat » significat dicitatem non misceri nec confundi cum corpore quod inhabitat, sed integram et immixtam permanere.

Tertio, D. Thomas loco jam citato: « corporaliter, » inquit, hoc est, tribus modis secundum trimas corporis dimensiones. Sicut enim corpus tres habet dimensiones, scilicet longitudinem, latitudinem et crassitiam; ita tribus modis quasi dimensionibus tota divinitas est in Christo, scilicet primo modo per essentiam, per presentiam et potentiam, sicuti est in aliis hominibus et creaturis. Secundo modo per gratiam gratum facientem, sicuti est in aliis Sanctis omnibus. Sic Deus et divinitas, inquit Remigius, inhabitavit in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in Mose per mansuetudinem, in Christo per omnem virtutem et innocentiam. Tertio modo et proximissime inhabitavit divinitas in Christo per unioem in hypostaticam, sive personalem; idque soli Christo proprium est. Verum due priores expositiones literales sunt et genuinæ, hæc tertia potius videtur esse metaphorica quamdam accommodatio.

10. ET ESTIS IN ILLO (CHRISTO) REPLETI, QUI EST CAPUT OMNIS PRINCIPATUS ET POTESTATIS, — id est, Christus vos sua plenitudine divinitatis inhabitat, eo modo quo jam paulo ante dixi ex Remigio, scilicet ut vos repleat fide, spe, charitate omnibusque suis virtutibus et gratis. Ita Ambrosius et Theodoretus. « Christus, » inquam, qui est caput omnis principatus et potestatis, aliorumque quorumvis angelorum, *q. d.* Non ergo angelis, quos inducit Simoni, sed Christo, uti corporeis, inhereat. Christus est caput tam vestrum angelorum, Christo ergo capiti quasi membra indivise vos conjungite, nec a Christo ulla ratione sinatis vos divelli, ut constanter et assidue dicitis: Christus caput meum, spes mea, amor meus et omnia. Quomodo Christus sit caput angelorum, jam dixi *Epist. cap. I, vers. 10 et 22*.

11. IN QUO ET CIRCUMCISIO ESTIS CIRCUMCISIOE NON MANU FACTA IN EXPOLIATIONE CORPORIS CARNIS, SED IN CIRCUMCISIOE CHRISTI; 12. CONSPELTI EI IN BAPTISMO. — Ita legitur Romana Biblia et Theodoretus. Græca tamen, Syrus, Theophylactus et alii expungunt voculam *sed*. Juxta Romanam et Theodoretum, est antithesis inter circumcicionem carnis datam per Mosem et circumcicionem animæ institutam a Christo; hæc enim antithesis significat conjunctio adversativa *sed*, et sensus est: Vos, o Christiani Colossenses, circumcisio estis circumcicionem non Judaicæ, quæ fit manibus, quæque consistit in expoliatione corporis carnis, quia nimirum de corpore carneo præscinditur præputium; sed circumcisio estis in circumcicione, id est circumcicione (est enim Hebræum *bet* contactus) Christi, quæ non corpus, sed animam a peccatis circumcidit. Si queratis ubi et quando ita a Christo circumcisio sitis? Respondet: in baptismo, nimirum hoc ipso quo Christo in baptismo estis conspelti: in baptismo enim non tantum circumciduntur, sed sepeliuntur et aquis placulibus obruuntur et absorbentur peccata omnia. Eandem sepulture metaphoram tribuit baptismo Apostolus, *Rom. vi, 4*, ut ibi dixi.

Nota: « Corpus carnis » vocat corpus carneum: sunt enim, ut ait S. Augustinus, lib. XIV *De Trinitate*, multa corpora carnis expertia: uti cæli, elementa, saxa, etc. Nisi dicas esse hypallagen et metathesin, quæ a corpus carnis » dicitur pro caro corporis; ut sic legas hæc et ordines, « in expoliatione carnis corporis, » et sensus sit, in expoliatione et præcissione carnis partis, scilicet præputii, de corpore. Sic Hebræi vocant « desertum populi, » non desertum inter populos, sed potius desertum a populis; et resurrectionem mortuorum, id est ex mortuis. Ponit ergo Apostolus antithesim inter circumcicionem Moysi et Christi, quæquod illa carnis tantum præscinderet, quæ peccati est instrumentum, scilicet vilem pelliculam præputii: Christi vero circumcisio resecat ipsa peccata ab anima.

Secundo, si cum Græcis jam et Syro lega sine

Divinitas inhabitat in Christo corporaliter, id est realiter.

Secundo, corporaliter, id est in corpore Christi.

Paralogismus Nestorii.

Tertio, corpora, licet, id est expertia sentiam gratiam et carnis sunt hypostaticam.



sed, nulla erit antithesis, et hæc omnia spectabunt ad circumcisionem Christi. Unde Græca addunt vocem peccatorum: sic enim habent, ἐν τῇ ἀνομιᾷ τοῦ σώματος; ἀμαρτίας τῆς σαρκός, id est, «in exultatione corporis peccatorum carnis.» Ubi nota: «Corpus peccatorum carnis» vocatur corpus peccati carnalibus obnoxium. Jam secundum Græca et Syrum hic sensus erit: Circumcisi estis per Christum circumcisi, non manu facta, in expoliatione corporis peccatorum carnis; quia videlicet corpus vestrum per baptismum Christi circumcismum est a peccatis carnalibus,isque expoliatum, ut non sit amplius corpus peccati: nam per baptismum exuistis corpus peccati, et induistis corpus gratiæ et justitiæ; et sic in re idem est circumcidere quod exuere vel expoliare corpus peccati. Ita Theophylactus et Græci. Verum prior lectio per antithesim planior est et verior.

Aggreditur enim hic Apostolus Judaizantes perstringere et Colossenses avocare a circumcissione et Judaismo, sicut vers. 8. eos avocavit a philosophiis eorumque dogmatibus ad Christum.

12. In quo (scilicet Christo) ET RESURREXISTIS (in novam vitam, novos mores, novum spiritum, quem accepistis in baptismo) PER FIDEM OPERATIONIS (græce ἐνεργίας, id est efficaciæ, vel efficaciæ operationis) DEI, QUI SUSCITAVIT ILLUM (Christum) A MORTUIS, — q. d. Resurrexistis in baptismo in novam vitam per fidem, qua creditistis Dei potentiam et divinæ gratiæ efficaciam, qua per Christum in creditibus hanc spirituale resurrectionem operatur, sicut eadem potentia in Christo corporalem resurrectionem est operatus, dum eum a morte suscitavit.

Hunc esse sensum patet ex Ephes. 1, 49, quo hic alludit Apostolus (est enim hæc epistola similia et quasi compendium epistolæ ad Ephesios), ubi sic dicit: «Ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus (id est ad quanta bona vocati sitis, quantum gratiam hic et gloriam in resurrectione sperare debeatis) et quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus (quod ait hic, per fidem) secundum operationem (græce est ἐνεργίας, eadem scilicet vox, quæ hic) potentia virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis,» q. d. Eadem energia et potentia Deus suscitavit nos credentes a morte peccati ad vitam gratiæ, qua Christum a morte suscitavit ad vitam immortalem et gloriosam; quod hic per compendium dicit, «per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis;» relinquens illa supplenda quæ supplevit ad Ephesios scribens, scilicet illa quæ jam citavi. Ita Ambrosius et D. Thomas.

Secundo, Adamus valde probabiliter «fidem operationis» interpretatur fidem non otiosam, neque desidiam, sed agentem et operatoriam honorum operum, quæ hominem facit actuosum et ædulum in bonis operibus.

Tertio, alii «fidem operationis Dei» interpretantur fidem quam Deus operatur in nobis. Sed primus sensus stylo Pauli et epistolæ ad Ephesios maxime congruit.

13. ET VOS, CUM MORTUI ESSITIS (privati vila gratiæ) IN DELICTIS ET PRÆPUTIO (per delicta et præputium) CARNIS VESTRÆ, CONVIVIFICAVIT CUM ILLO (ut, sicut Christus virtute Dei resurrexit a mortuis ad vitam gloriosam, ita vos eadem virtute et potentia a morte peccati a Deo suscitati sitis ad vitam gratiæ et spiritus) DONANS (condonans et gratis remittens, hoc enim est Græcum χάρισμα) VOBIS OMNIA DELICTA. — Nota: «Præputium carnis» vocat libidines et peccata carnalia, quæ committuntur per præputium, ut sit metonymia et synecdoche, qua ex specie peccatorum notissima, reliqua intelliguntur: ita aliqui. Sed hic sensus acrior est, restringit enim præputium ad libidinem, cum Apostolus per præputium quodvis peccatum significet.

Unde secundo, alii per præputium carnis intelligunt gentilismum et gentilissimi mores, ac conversationem in carnis concupiscentiis explendis. Sic enim alibi passim more Judæorum gentilismum et Gentes vocat præputium, eo quod illud more Judæorum non circumciderent. Hic sensus aptus est, sed Apostoli mentem et fundum non exhaurit.

Hinc dico tertio, Apostolus per præputium carnis intelligit incircumcisionem carnis, qua scilicet quis desideria et concupiscentias carnis non resecat, non circumcidit, sed eas pronus sequitur, eisque obedit et indulget.

Ubi nota: Judæi per circumcisionem censebant se fieri mundos, sanctos ac populum Dei. Hingentes incircumcisos habebant pro immundis, pollutis et sceleratis. Inde proverbialiter præputium vel incircumcismum vocabant id, quod quavis in re immundum est. Sic sæpe Propheta carpunt Judæos, quod incircumcismum habeant eor, incircumcisos aures, linguam, oculos, etc., id est quod cor, aures, linguam, oculos immundis vitis et concupiscentiis habeant obstructos et obduratoros.

Illustrat etiam hujus rei et significationis extat exemplum Levit. xix, 23, ubi sic dicitur: «Quando ingressi fueritis terram et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda (hebraice ערלים arelim, id est præputiata et incircumcisa) erunt vobis, nec edetis eis; quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino (id est offerretur Domino, ut cadat in laudem Domini: unde hebraice est, Sanctitas laudum erit Domino); quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ profertur.»

Ubi nota, fructus qui tribus primis annis ex arbore nascuntur, vocari «præputia,» quia hæc lege Mosi censebantur immundi, et Judæis vetiti. Ut enim patet immundus erat donec per cir-

cumcisionem auferretur et præputium et abjiceretur: ita et arbores censebantur immunde, ut fructu earum vesci Judæis non liceret, donec fructus trium primorum annorum circumcisi, id est avulsi et abjecti, essent: ita ut fructus quarti anni Deo offerretur, ac deinde fructibus quinti anni Deo vesci liceret. Voluit Deus hæc cæremonia et circumcissione arborum a Judæis coli, perinde ac circumcissione puerorum: congrue tamen et apposite ad naturam rerum; nam fructus primi arborum magis aquosi, magis insalubres et indigestibiles sunt posterioribus, ut ibidem recte annotavit Abulensis. Sicut ergo ibi Scriptura immunditiam pomorum, vocat præputium pomorum, ita hic immunditiam carnis et peccatorum carnalium, vocat «præputium carnis.»

Ubi rursus adverte: Per «carnem» intelligit concupiscentiam quamlibet, etiam in voluntate, ratione et mente residentem, qualis est concupiscentia honorum, vanæ scientiæ, curiositatis, heresis, invidia, ambitio, etc., ut dixi Galat. cap. v, vers. 19.

14. DELENS QUOD ADVERSUS NOS ERAT CHIROGRAPHUM DECRETI, QUOD ERAT CONTRARIUM NOBIS. — Querens, quodnam sit hoc «chirographum decreti?»

Primo, Theodoretus respondet esse corpus nostrum, in quo infixa et quasi inscripta erant debita, id est peccata carnis, quæ Christus in cruce delevit.

Secundo, alii apud Theodoretum respondent esse decalogum nos accusantem in decretis (sic enim habent Græca, non decreti) quæ continet et præcipit. Unde Vatablus: «chirographum,» inquit, vocat legem sive decalogum, quod digito Dei scriptus esset, vel quod testificetur contra nos, et nos condemnet, sicut chirographum condemnat debitorem coram iudice. Hinc et Sixtus Senensis, lib. II, pag. 89, putat «chirographum decreti» esse verba illa Israelitarum Esodi xxiv: «Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.» Hæc enim communis eorum acclamatio veluti ex syngrapha eos reddidit debitores totius legis servandæ. Et Maldonatus in Actis manuscr.: «decreta,» inquit, vel ut græce est, «dogmata,» vocat legem Evangelicam, quæ veluti scheda est soluta per Christum pro peccatis ponæ; «chirographum» autem vocat legem veterem, quæ testabatur omnes gentes mortuos esse: concluserat enim omnia sub peccato. Adit ad duas syngraphas, quibus debitores et creditores uti solent, alteram debite ponit, alteram soluta: ac docet, sicut syngrapha debiti per syngrapham solutionis aboletur ac laceratur, ita per legem Evangelicam legem Moysi abolitam fuisse: vide Ephes. ii, 13.

Tertio, Anselmus censet «chirographum» hoc esse memoriam nostram et dæmonum accusantium nos de peccatis.

Quarto, melius Chrysostomus et Theophylac-

tus censent esse pactum Dei cum Adamo et legem hanc Adamo a Deo datam: «In quo, umquam die comederis ex eo (fructu arboris scientiæ boni et mali) morte morieris:» quæ enim quasi chirographo debito mortis obnoxii tenebatur.

Quinto, D. Thomas putat esse memoriam Dei reservantis peccata, in qua peccatum Judæ, ait Jeremias xvii, 1, scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino. «Et dicitur Decreti, inquit D. Thomas, eo quod peccatum non tantum manet in memoria, sed etiam in decreto Dei, quod decrevit illud punire; cum vero Deus illud remittit, non remittit sic, ut faciat quod non peccaveris; sed sic ut peccatum admissum delet, quasi de sua memoria et decreto, in quo illud reservabat ad vindicandum et puniendum, simulque facit ut peccatum non maneat in dæmonis memoria ad accusandum, nec in peccantis conscientia ad eum contristandum:» hucusque D. Thomas.

Sexto, Ambrosius hoc «chirographum» vult esse peccatum et debitum Adæ ad nos propagine transcriptum.

Septimo et optime, «chirographum decreti» est obligatio ad penam æternam juxta decretum Dei et sententiam damnationis in Adamum et posteros ejus peccantes latam. Græce enim est ἐχρόγραφον, id est in decretis Dei: hinc enim obligatio et penam æternam sponte peccando quasi manu nostra subscripsimus, nosque diabolo quasi vindicti hæc obligatione obligavimus. Alludit ad syngraphas creditorum et debitorem per quas metonymice accipit ipsum debitum, quod solent syngraphæ continere. Chirographum ergo hoc non graphæ continere. Chirographum ergo hoc non est aliud quam obligatio, reatus et debitum penæ æternæ, ita certum et liquidum, ac si chirographo et manu nostra consignatum extaret. «Quisque, ait Origenes, hom. 13 in Genes., dum peccat, peccati sui literas scribit.» Ita Augustinus in Psal. lxxvii, D. Thomas, Gagnæus et alii. Unde Syrus vertit, delevit in mandatis sibi (id est a se, vel suis) chirographum obligationum nostrarum, quod erat contrarium nobis.

Ubi nota, Syrum, Ambrosium, Anatum et alios nonnullos cum Græcis legere, non decreti, sed decretis, sive mandatis, sique exponere, q. d. Paulus: Christum per decreta et præcepta Evangelicæ delevisse chirographum, id est legem Mosi, quæ nos coram Deo reos afflicebat, ut idem sit cum eo quod dixit Paulus, Ephes. ii, 15: «Legem mandatorum (Mos) decretis (præceptis Evangelicis) evacuavit,» q. d. Christus per fidem et legem fidei abrogavit legem Mosi.

Verum Romana Biblia et alia Latina passim legunt decreti, non decretis, illudque melius coheret; si enim legas decretis, et intelligas decreta sive præcepta Evangelicæ, quæ sustulerunt chirographum, id est legem Mosi, oratio apostoli hinc erit et incisa: «enim decretis interjicitur et divellit chirographum a suo sequenti epitheto, «quod

chirographum  
decreti  
est  
reatus  
et  
debitum  
penæ  
æternæ,  
quod  
quasi  
dum  
peccat,  
sibi  
ipsum  
chirographum  
obligationum  
nostrarum,  
quod  
erat  
contrarium  
nobis.

Chirographum  
decreti  
est  
reatus  
et  
debitum  
penæ  
æternæ,  
quod  
quasi  
dum  
peccat,  
sibi  
ipsum  
chirographum  
obligationum  
nostrarum,  
quod  
erat  
contrarium  
nobis.



erat contrarium nobis. » Sensus ergo septimo loco datus optimus est, optimeque tam Græcam, quam Latinam lectionem explicat. Cui adde, Græcum dativum *συνερα*, id est, *decretis*, com modo per genitivum *decretorum* exponi posse. Sic enim Hebræi sæpe dativo pro genitivo utuntur, ut *לדודי נתתם* *natismor ledavid*, id est psalmus ipsi Davidi, hoc est psalmus Davidis. Sic II Cor. cap. xii, vers. 7, ait Paulus, *δίδωμι γὰρ ὑμῖν τὸ ἀσθενῆσαι*, id est, *datus est mihi stimulus carnis*, hoc est carnis. Sic Cato in libris *De Re rustica* dicit, Ornamenta hobbis, pro ornamenta boum, et Instrumenta rusticis, pro instrumenta rusticorum : ita hic « chirographum decretis » est chirographum decretorum, puta obligatio ad mortem et penam eternam, sive sententia damnationis in peccatores lata a Deo per sua decreta et præcepta.

Et resum (chirographum sive obligationem jam dictam) TULIT DE MEDIO (id est sustulit) AFFIGENS ILLUD CRUCI, — *q. d.* Confixit hoc chirographum, et crucifixit, id est cassavit illud et abolevit sua cruce ac morte Christus moriens in cruce. Ita Theodoretus. Alludit ad syngraphas, quæ soluto debito, cum ad nihil amplius valent, lacerantur, aut pertunduntur et stylo unevae affiguntur. Ita narrat Spartianus in *Adriano*, Adrianum ad colligendam populi gratiam, infinitam (erant viginti septem milliones aureorum) pecuniam quæ fisco debebatur, remisisse privatis debitoribus, eorumque syngraphas in foro Trajani combussisse. Longe plura remissa sunt et abolita per Christum (1).

13. ET ESPOLIANS PRINCIPATUS ET POTESTATES (id est spolians demones sua potestate; dominio et tyrannide in homines sibi hoc peccati chirographo obligatos et subditos), TRADUXIT CONFIDENTER PALAM TRIUMPHANS ILLOS IN SEMETIPSO. — Nota verbum « traduxit, » quod sic explicat Anselmus : Christus, inquit, animas Sanctorum ex inferis traduxit ad cælum; sed græce est *ἐπαρτάσθαι*, id est traduxit et circumduxit in triumpho, uti solent triumphatores hostes et prædam in triumpho circumducere, ostentare et omnibus spectanda exhibere. Sic Christus quasi triumphator suos hostes, scilicet demones; sua potestate; quam habuerant in homines jam dejectos, et a se victos in triumphum duxit, Deoque et angelis ostendit, ut vertit Ambrosius. Pie S. Bernardus, epist. 190 ad *Innocent. Pontif.*, citans hunc locum Apostoli : « *Ultimam, inquit, ego inveniar in his spoliis*

(1) Ahi commata 14 et 15 sic vertunt : Dum delevit legem illam (Mosis) scriptam, decretis variis constantem ; nobis contrarium (quippe quæ Judæos salvare non poterat; et eos reddidit guttibus invisos, et causa erat dissidii inter primos Christianos), etc., 14. Spoliavit potestate omnes principes ac potentes (defensores scilicet legis Mosaicæ, Judæorumque principes ac sacerdotes, quibus insurgentibus in crucem actus fuerat); traduxit eos palam (ex mortuis resuscitatus, ostendit vanos fuisse eorum conatus, toto mundo inspectante); atque de his egit triumphum.

quibus spoliata sunt contrarie potestates, traductus et ipse in possessionem Domini sui in insectutus Laban arguerit quod recesserim clam ab eo, audiet me clam accessisse ad eum et ob hoc clam me recessisse. » Per Laban accipit diabolum, unde subdit : « Subjecit me illi causa secretior peccati, subduxit me illi ratio occultiore justitiæ. » Addit Theodoretus : Ostendit, inquit, Christum sua victoria et triumpho hominibus; quam imbecilles sint demones, quamquæ facile sua ope eos vincere possint. Unde Augustinus, *epist.* 39, Græcam vocem *ἐπαρτάσθαι*, vertit, *exemplavit*, id est publicum exemplum omnibus spectandum et cavendum statuit, ut omnes hoc exemplo discant non resistere Christo, Christo se subdere et obedire : Syrus vero vertit, *וּנְבִיחָה אֲנִי* *vabehet enim*, id est *et confudit eos*. Sic *Numer.* xxv, 4, Dominus dicit ad Mosam : « Tolle cunctos principes, et suspende eos contra solem in patibulis. » tibi pro suspende Septuaginta vertunt *παρὰδραμάσθαι*, id est in exemplum proponere principes; nimirum ut iis, qui fornicationis et idololatriæ Beelphegor participes vel duces fuerunt, suspensis, cæteri omnes timeant et caveant.

Secundo, pro *confidenter palam*, græce tantum est, *ἐπαρτάσθαι*, id est libere, confidenter, audacter et palam. Unde Ambrosius vertit, « in auctoritate. » Maldonatus censet *et palam* additum ab aliquo scilicet versionem corrigere volente, quia non est in Græco; verum omnes codices habent *et palam*. Dico ergo *et palam* includi in *et triumphans* : triumphus enim fit palam et publice. Imo Beza *et in παρὰδραμάσθαι* vertit, *traduxit palam* : nam *ἐπαρτάσθαι* significat libere, intrepide, palam, publice, neminem veritus.

Tertio, « triumphans illos, » id est triumphum agens de illis; vel illos, scilicet demones, in triumphum ducentes.

IN SEMETIPSO, — id est, per semetipsum; per suam virtutem et victoriam, non ab angelis, sed a se et suis viribus partem.

Nota : Pro in *semetipso*, Græce est *ἐν ἑαυτώ*. Quod cum spiritu aspero idem est quod *ἐν τῷ σώματι*, id est in *semetipso*, ut vertit Noster, Syrus et alii : cu spiritu vero leni significat *in ipso*, et tunc refertur potest ad *σῶμα*, id est a cruce, « quod processit *σῶμα*; enim, id est crux, græce est masculini generis, *q. d.* In ipsa cruce triumphavit Christus suis hostibus, ad eum et crux fuerit triumphal cursus Christi. Ita Theophylactus. Unde Origenes hom. 8 in *Josue*, docet in cruce Christi diabolum esse crucifixum, ita nimirum ut in cruce Christi duo fuerint affixi, puta Christus visibiliter, sponte sua, et ad tempus; diabolus autem invisibiliter, invitus, et in æternum ejus opprobrium. Idque probat ex hoc loco Apostoli, ubi Paulus ulitur metaphora triumphi, indicare victricem crucem esse curram triumphalem, in eujus summa parte sedet Christus triumphans, et in parte inferiori trahitur diabolus alligatus, et oscitantur quasi in

pompa. Id enim significat Græcum *ἐπαρτάσθαι* et *ἐπαρτάσθαι*. Origenes enim explicans illud *Josue* cap. viii, 29, ubi Josue dicitur suspendisse regem Hai in ligno (pro quo Origenes legit in gemino lienio), allegorice ita de Christi cruce philosophatur : « Domini nostri Jesu Christi crux gemina fuit, hoc est, gemina ratione et duplici constat. Quia visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est, invisibiliter vero in ea cruce diabolus cum principibus suis et potestatibus affixus est cruci. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum? Quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio affligens cruci suæ, exuens principatus et potestates traduxit libere, triumphans eas in ligno crucis. Ergo duplex Dominicæ crucis est ratio, una illa, qua dicit Petrus quod Christus crucifixus nobis reliquit exemplum; et hæc secunda, qua crux illa tropæum diaboli fuit, in quo et crucifixus est et triumphatus. » Deinde id ipsum probat et declarat per aliam Pauli sententiam ita dicens : « Ideoque et Paulus dicebat : Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Vides quia et hic Paulus duplicem crucis prodidit rationem. Duo enim sibi contraria dicit esse crucifixam, se sanctum et peccatorem mundum ad illam formam sine dubio quam diximus Christi et diaboli. Nos enim mundo crucifigimur tunc, cum veniens princeps hujus mundi in nobis non invenit quiddam; et nobis mundus crucifigitur, cum peccati concupiscentias non recipimus. » Objicit deinde sibi Origenes, si diabolus crucifixus est, quomodo videmus eum tot fidelibus prævalere? ac respondet : « Intelligendum, inquit, est quod diabolus victus quidem et crucifixus, sed iis qui cum Christo crucifixi sunt; omnibus autem credentibus et universis pariter populis tunc erit crucifixus, cum complebitur illud, quod dicit Apostolus : Quod sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. »

16. NEMO ERGO VOS JUDICET, — id est reprehendat, vel damnet; sic enim per metalepsin *ἐπιβουλή* ponitur pro *κατακρίσις*, id est judicare, pro judicando condemnare (1).

IN CIBO, AUT IN POTU, — id est in delectu et abstinencia ciborum et potum Judæis præscripta *Levit.* xi.

17. AUT IN PARTE DIEI FESTI, AUT NEOMENIÆ, AUT SABBATORUM : QUE SUNT UMBRA FUTURORUM, CORPUS AUTEM CHRISTI. — Nota cum S. Augustino, *epist.* 39, conjunctionem illativam ergo, significare hæc inferri ex præcedentibus. Dixit enim vers. 6 et seqq., in uno Christo debere esse fidem et conversationem nostram, in quo, ut ait vers. 11, « circumcisi sumus circumcisione non manu-

(1) Nunc proprie dicit Apostolus quid a Christo fuerit sublatum, crucisque affixum, nempe discrimen ciborum, etc., juxta quosdam. Vid. notam præced.

In cruce crucifixus est Christus visibiliter, diabolus invisibiliter

facta, in baptismo. » Inde jam inferri non esse audiendos Judaizantes, qui ciborum delectum et dies festos a lege veteri præscriptos, ac consequenter ceteras veteris legis caeremonias (hæc enim omnes per synecdochen ex una alterave ciborum et festorum specie intelligit) Christianis observandas esse doceant.

De Judaicis enim jejunis et festis, non de Aposto Christianis (quo Novantes hæc torquent) agi patet primo, ex verbo *neomeniæ et sabbatorum*; hæc enim sunt festa Judaica, non Christiana. Christiano, ex eo quod subdit : « Que sunt umbra futurorum, corpus autem Christi, » *q. d.* Loquor de veteribus festis, que fuerunt umbra festorum Christi. Tertio, id patet ex scopo totius epistolæ, qui est agere contra Simonianos et Judaizantes. Quarto, ita explicant Patres passim, Chrysostomus, Theophylactus, (Eusebium, Theodoretum, Ambrosium, Anselmus et Augustinus, *epist.* 39 ad Paulinum.

Nota : Non dicit Apostolus, in die festo, sed in parte diei festi, » vel quod Judaizantes non tantum diem festum, sed et singulas ejus partes observari vellent; vel potius « in parte, » id est, ut Syrus vertit, *in partitionibus festorum*, quia, ut explicat Chrysostomus, Judaizantes debebant quedam festa Judaica esse servanda, alia negligebant, sive ex libito et phantasia sua, *q. d.* Apostolus extenuans festa Judaicorum abolita partitur, et sine ratione festa Judæorum abolita partitur, ut alia colant, alia non colant; sive, ut Theodoretus et Chrysostomus, eo quod qui Colossis et alibi erant, longe Hierosolymis et templo absentes, ac consequenter pascha et nonnulla alia festa celebrare non possent. Hac enim de causa Judæi etiamnum non celebrant pascha, nec pentecosten, per sacrificium agni, aliaque quæ lex illis diebus immolari præcipit, eo quod lex eadem jubet illa non alibi, quam Hierosolymis in templo, quo jam carent, immolari.

Possent tertio simpliciter accipi *in parte diei festi*, *q. d.* Nemo vobis judicet in hac parte, in hoc puncto, in hac materia; sive in eo quod attinet et spectat ad diem festum; sic enim vulgo loquimur, Hac parte, id est; in hoc facto aut puncto nemo potest me culpare. Et sic loquitur sæp Paulus, ut II Cor. iii, 10 : « Quod claruit in hac parte. » Et *cap.* ix, 3 : « Ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte. » Et *cap.* xi, 21 : « Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte, » id est in hoc puncto, in hac materia.

Tropologicam explanationem dat Origenes, homil. 23 in *Numeros*, scilicet Paulum dicere « in parte diei festi, » quia in hac vita tantum pars festi, in celo vero, ubi plenum est gaudium, totum festum agitur. « In hac vita, » inquit, interpellamur etiam nonnullis, ab onere carnis, pulsamur concupiscentiis ejus curisque et sollicitudinibus tenebrarum: veniet quod perfectum est, et perfacim festivitati cedet festivitas quæ ex parte est. »

Apost. lushio, sectionem non Christiano, sed Judaica festa et jejunia. Probatur quatuor rationibus.

Quoniam pars diei festi? Primæ et secundæ.

In hac vita est pars festi in celo totum festum.



Nota secundo: « Dies festos » vocat Apostolos ipsas solemnitates annuas, puta Pascha, Pentecostes, Tabernaculorum, et sic distinguuntur a Jemenia et sabbato, quae erant festa communia, quolibet mense et septimana recurrentia et ordinaria.

Quae sunt umbra futurorum. Corpus autem Christi, — q. d. Umbra est similitudo corporis, ita veteres ille observantiae ciborum et festorum, similitudo erant et typus futurorum per Christum. Opponit enim umbram corpori, legem Evangelio, Mosem Christo. Rursum, in voce corpus est catachresis: « corpus » enim hic idem est quod veritas et soliditas illius umbræ veteris, quam est Christi, et per Christum allata in mundum, q. d. Rem ipsam veram et solidam per vetera festa adumbratam tenemus in Christo; cessent ergo ipsae Judaicæ umbræ festorum, jam presente veritate. Simili sensu dixit vers. 9, quod in Christo inhabitat plenitudo divinitatis « corporalis » (1).

Notat Œcumenius aliquos hæc aliter interpungere, nimirum ut illa verba, « corpus autem Christi, » referant ad sequentia, « nemo vos seducat. » Ha legit et intelligit Augustinus, epist. 59, q. d. Nemo vos, o fideles, qui estis corpus Christi, seducat. Sed prior lectio verior et communior est.

18. Nemo vos seducat. — Est hic nova pericodus, ait Chrysostomus, sicut enim initio capitis generalim, vers. 8, insectatus est Philosophos; vers. vero 11, Judaizantes: ita hic spectatim, vers. 16, insectatus est Judaizantium festa et abstinentias; hoc vero vers. 18, insectatur philosophantium errorem et superstitionem in colendis angelis.

Quid sit κατεργασθέντα? Nota: Pro seducat, Græce est καταργηθέντα, quod primo, Syrus vertit, nemo vos vos efficit, aut condemnandos caret; et Photius καταργηθέντα exponit καταργηθέντα, id est condemnat. Sic enim Demosthenes καταργηθέντα dicit actorem, qui reum peragit, eumque ad condemnationem postulat et perurget. Secundo, Valla et Stapulensis vertunt, nemo proposito premio vos ad certamen evocet, nemo bravium vos ostentet. Tertio, Œcumenius: καταργηθέντα, inquit, dicitur quoties penes alium est victoria, penes alium præmium. Unde S. Hieronymus ad Algasium, Quæst. X, vertit, « Nemo adversus vos bravium accipiat. » Cum enim quis in certamine positus iniquitate agonothete, vel insidiis magistrorum, bravium et debitam sibi palmam amittit, καταργηθέντα dicitur. Quarto, Ambrosius vertit, « nemo vos devincat. » Quinto, Augustinus, epist. 59, « nemo vos convincat. »

Verum nota: Sicut ἄρατος significat bravium do, præmium certaminis et victoriae tribuo, inde enim bravuta est is, qui in quæ con-

certantium erat iudex, ut victori bravium decerneret: ita καταργηθέντα significat bravio aliquid privare et fraudare, in capiendo bravio aliquid circumvenire, et, ut Noster vertit, seducere (præstitio enim κατὰ contrarium et oppositum verbi ἄρατος importat), nec solum agonothete, sed et antagonistis convenit, ut apud Virgilium Nisus in stadio currens Salio premium intercipit, quod Euryalus chineat: quomodo Pharisei dicuntur nec cælum ingredi, nec alios ingredi sinere, q. d. Paulus: Nemo bravio vestro sese opponat, nemo bravium ac premium vestrum intercipiat, vel avertat, nemo corona vobis preparata indignos vos reddat, inquit Vatablus, et, ut Chrysostomus cum suis, nemo premio vestro vos defraudet, q. d. Vocati estis ad bravium cœlestis gloriæ, eo procurandum est, et eo procurare cœpistis per fidem et religionem Christi: videte ne ab hoc cursu et bravio Novantes vos avertant per fidem et superstitionem angelorum, quam inducunt.

Denique mihi diu de hoc loco cogitanti novus occurrit sensus, et haecenus quidem inauditus, sed qui forte lectori magis naturalis et genuinus esse videbitur, ut καταργηθέντα idem sit quod contra vos dominetur, vobis insultet, vos imperiose regat; ἄρατος enim, teste Budeo, proprie significat regere, dominari, imperare: κατὰ vero idem est quod contra, ut καταργηθέντα idem sit quod Galli dicunt braver (quod a Græco ἄρατος deductum videtur) contre quel'un: quomodo juvenes petulantibus dicuntur braver la garde, ou contre la garde, cum urbis custodibus et vigilibus armati insultant, imperant, dominantur. Tales enim hos Novantes inducentes religionem angelorum fuisse sat indicat Apostolus, cum subdit eos volentes id facere, jactare visiones suas, et esse inflatos sensu carnis suæ; hoc enim proprie est braver et faire le brave: superbia enim mater est hæresis, et hæretici inflati Catholicis ἄρατους, id est insultare et dominari volunt. Adde, sicut de Judaizantibus dixit vers. 16: « Nemo vos judicet, » id est quasi iudex vobis præsideat, vos judicet et damnet; ita de hæreticis Anglicis hic dicit: Nemo vos καταργηθέντα, id est nemo quasi brabenta vos regat, vos judicet, vobis imperiose dominetur; ut pene idem sit judicare, et quasi iudicem præsidere, quod καταργηθέντα: tam enim hæretici, quam Judaizantes de re Christiana, Christo et articulis fidei censere, judicare, et quasi iudices præsidere volebant. Hic enim est genius hereticorum criticus, ut omnium velint esse censores, iudices et quasi domini. Hoc videtur velle S. Hieronymus loco citato, ubi docet καταργηθέντα vocem esse Cilicibus propriam: erat enim Paulus Cilix; itaque hic eam vertit, « Nemo vos superet, » q. d. Hi Novantes sunt superbi, tumidi, et, ut dicunt Galli, font le brang, voluntque sua sapientia omnes docere, omnibusque prævalere et dominari; denique volunt esse bra-

Kata-  
εργασ-  
θεντα  
braver,  
domina-  
ri, insul-  
tare.

hæute, et quasi brabente agoni Christianorum præsidere, disque novas leges et religiones præscribere. Agile ergo, o Colossenses, fastum eorum explodite, nolite pati, ut contra vos insolentant, ne eos vobis, imo Christo ipsi et Ecclesie ἄρατους, dominari et imperare sinatis. Sic accipitur ἄρατους, cap. seq. vers. 43, ut ibi dicam. Nec obstat quod κατὰ, cum significat contra, poscat genitivum, hic vero habeat accusativum ἄρατος: ait enim ἀλλοῖς ἡμαῖς καταργηθέντα, nam ille accusativus ἡμαῖς non respondet prepositioni κατὰ, sed verbo ἄρατους, quod tam accusativum quam dativum regit. Sic enim Plutarchus dicit ἄρατους ἀλλοῖς, id est regere certamen, et ἄρατους δικαιο, id est moderari iudicium, iudicio præsidere.

Ab hoc sensu non dissentit noster Interpres, qui vertit, « nemo vos seducat: » ubi seducere non tam decipere, quam seorsum ducere significat, q. d. Nemo vos a Christo et Ecclesia seorsim post se abducat, nemo vos sibi subdat, ut novus quasi doctor et hierarcha ad suam sectam et cultum angelorum vos pertrahat, itaque vobis discipulis et catechumenis suis dominetur, quasi brabenta. Sic enim omnes hæresiarchæ seduxerunt eos, quos sua blandiloquentia, hypocrisis et ostentatione ab Ecclesia post se pellexerunt et discipulos abduxerunt.

To Vo-  
lens  
angeli-  
cos  
expe-  
ditur.

VOLENS. — ὁθελω, id est studio, data opera, sive de industria, inquit Erasmus; ut intelligerent Colossenses hos Novantes maligne insidiosi sibi. Secundo, S. Augustinus, epist. 59, « volens refert ad in humilitate, q. d. Volens videri humilis, affectator humilitatis: sic enim Epiphanius, in hæresi Dositheorum, ἰσοδοκον vocat affectatorem inanis sapientia; sic Græci vocant ἰσοδοκους, famulos, qui obsequia dominorum affectant. Imo Africanus, inquit Augustinus, Græcam vocem Latine miscendo hædivitem vocant eum, qui divitias affectat; ἰσοδοκον eum, qui sapientiam affectat. Hæc accedens Ambrosius: significat, inquit, Paulus hos (Novantes) studio per humilitatem dejicere voluisse animos hominum, ne sese erigerent ad cœlestia.

Tertio, alii ὁθελω volunt idem esse, quod εὐδοκω, id est sibi placens in religione angelorum (1).

Quarto et optime, « volens, » id est voluntarius, volens dominari per se, et sua sponte id agens et imperans. ὁθι Nota: « Volens » primo, refertur ad καταργηθέντα, q. d. Hi Novantes sunt imperiosi, sua voluntate volunt ἄρατους, et dominari vobis; olite id pati; secundo, « volens » refertur potest ad ambulans, q. d. Volens ambulare, vel volenter ambulans in hac falsa religione angelorum: t sit grecismus et hebraismus; et sic « volens » dem est quod ἡλικος, id est eligens, qui sponte, volente et electione sua, nova aut cũit, aut sectatur dogmata fidei veræ et receptæ

adversa. Unde quod hic disjunctis vocibus dicit ὁθελω, id est a volens in humilitate et religione angelorum, « etc. idem vers. ultimum, isdem vocibus, sed in una confatis, dicit et vocat ἰσοδοκωσαν, id est voluntariam et sponte excoGITATAM religionem.

IN HUMILITATE. — Græcum κατανοησιμον significat demissionem et humilitatem animi, ut vertit Ambrosius; consequenter tamen significat exterram verborum, morum et gestuum modestiam et humilitatem. Unde putat Augustinus, epist. 59, notari hic simulatam modestiam pseudoapostolorum: sed verius videtur in humilitate eodem pertinere, quo in religione, scilicet referendum esse ad genitivum angelorum, qui utriusque subserve.

Videntur enim hi Novantes actus humilitatis, acque ac religionis, tum internæ, tum externæ, suis præscripsisse, quibus colendi essent angeli secundum hæc novam ipsorum sectam et religionem angelorum.

ET RELIGIONE ANGELORUM. — Pro religione, Græce est ἡθεωσια, que est vox deducta a Thracibus, apud quos Orpheus religionem et cultum deorum invenit et præscripsit, quo postea usi sunt plerique Græcorum: ceteri ἡθεωσια, ait Nazianzenus, ἡθεωσια, κατὰ ὅν καὶ τὸ θεοποιεῖν, ἡθεωσια, id est, a neque Thracibus cum hæc sunt sacra, a quibus et verbum ἡθεωσια em, id est religiose colere, desumptum est, ut fertur.

Queritur hic primo, quemnam sit hæc humilitas et religio angelorum?

Respondet Melancthon esse vitam Eremiticam, vel cœlibatam, qui præ se fert imitationem angelorum.

Putat ergo Melancthon Eremitæ et cœlibes hic notari et damnari superstitionis. Secundo, Calvinus et Beza proprie putant hic damnari invocationem Sanctorum et angelorum, faveque Theodoretus: « Qui legem, sit, defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes fuisse legem per eos datam. Mansit autem hoc vitium in Phrygia et Pisdia. Quocirca Synodus quoque que convenit Laodiceæ, que est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos. Et in hodiernum usque diem licet videre apud illos et eorum finitimos oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, utique humilitate utentes, dicentes universorum Deum nec cerni, nec comprehendere, nec ad eum posse perveniri, et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc autem dixit, in humilitate et cultu angelorum. »

Verum dico, tantum hic damnari fictam humilitatem, ac superstitionem idololatricamque angelorum cultum. Ita omnes Patres et passim interpretes Catholici, Baronius, Bellarminus, Turrianus, Vasquez, inferius citandi, pse etiam Theodoretus, nam ipse se refert ad Concilium Laodicenum, quod Can. 3<sup>o</sup>

Humili-  
tatis  
operatio-  
nalis.

Religio  
dicitur  
ἡθεωσια  
unde?

Religio  
angelorum  
hic  
damnata  
quemnam?

Insulas  
Novantes  
putant  
hæc vitam  
Eremiticam  
cum, et  
invoca-  
tionem  
Sancto-  
rum dan-  
nari.

(1) Alii: Quæ futuris (beneficiis novi Test.) comparata, umbra sunt, quoniam soliditas, seu veritas rei, a Christo solo sit petenda.

(1) Equidem recte; nam ἡλικος sequente in, respondet ἡθελω sequente in.



nat idololatram angelorum: « Non oportet, ait, Christianos derelicta Ecclesia abire, et ad angelos [Bartholomæus tamen Carranza in sua *Somma Conciliorum*, non « angelos » legit, sed « angelos », cuius lectionis Surtius quoque in sua editione Conciliorum meminit, notans eam ad marginem; videtur enim Concilium occultam idololatram vetare, que fiebat in angulis, ubi erant idola reposita, Dei Ecclesia derelicta; nec enim angeli proprie sunt idola. Theodoretus tamen et alii plures non « angelos », sed « angelos » in hoc Concilii canone legunt, itaque habet ipse Conciliorum textus: possunt enim generatim angeli dici idola, eo modo quo cultus Solis, Lunæ et cuiusvis rei que non est Deus, vocatur idololatrica, sive idolorum cultus; id non oportet, inquam, relicta Ecclesia, ad angelos abominandæ idololatriæ congregationes facere. Quicumque autem inventus fuerit occultæ huic idololatriæ vacans, anathema sit; quoniam relinquens Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei, accessit ad idola. » Vides ergo non quemvis cultum, sed tantum adorationem et idololatricam angelorum a Concilio Laodiceo, ac consequenter a Theodoro æque ac Paulo, hic damnari. Idem deducitur ex præcedenti *can. 34.* et *can. 31* eiusdem Concilii Laodiceo, ubi recipit et decernit cultum verorum Martyrum, damnatque cultum falsorum Martyrum hæreticorum; si enim licet colere homines martyres, idque decernit hoc Concilium, multo magis licet colere angelos, qui nature nobilitate et conditione longe homines superant. Cum ergo *can. 33.* damnat cultum angelorum, non cultum dulia, sed latricæ damnat. Unde Paulus hic vers. ult. religionem hanc angelorum vocat « superstitionem. » Idem patet ex toto cap. et præsertim ex vers. seq., ubi ait: « Non tenens caput, » scilicet Christum. Damnata ergo Paulus Ialem tantum angelorum cultum, qui Christum Christique cultum excludat, quique homines a Christo ad homines abducat, et pro Christo angelos substituat, uti expresse docet Concilium Laodiceum, Chrysostomus, Theophylactus et Eumenius passim toto capite. Denique Theodoretus ab hoc Novantium errore et societate plane se liberat in cap. *iv Danielis*, et *Divin. decret.* lib. *V De Angelis*, ubi constanter affirmat angelos esse venerandos quasi eterne salutis administratos, qui apud Deum pro nobis intercedant nostramque causam agant.

¶ Sed quis ille fuit angelorum cultus, quem Paulus hic insectatur? Varii varia hic afferunt. Alii putant damnari hic a Paulo idololatricam Gentilium, qui gentios suos colabant, unde et eorum gratia natalitios dies celebrabant; patet ex *Censorino*, lib. *De Die natali*, et *Macrobio*, in *Saturtialibus*. Aut certe damnari hic idololatricam magorum, qui in magicis non tantum demones, et angelos se invocare profitebantur, teste *» Iuliano, Apologet. xxxii.* Ita Anselmus et Tur-

rianus; uti modo supra suis etiam confessariis in expertis subinde imponunt, dum eis sus angelorum (hoc est, demonum) visiones et melodias fictive enarrant. Favet huic interpretationi, quod Apostolus sepe agat contra Simonis hæreses tunc exorientes: Simon autem hic fuit magus; coluit ergo angelos, id est demones.

Potest secundo, cum Hieronymo *ad Algisiam*, Quæst. X, Clemente, lib. *VI Stromat.*, et Ambrosio accipi de idololatria Judæorum, qui solem, lunam omnemque cæli militiam, hoc est astra et angelos, adorabant, forte putantes (quod Pythagorici censuerunt, quodque Pharisæos sensisse tradit Epiphanius, lib. I, cap. xvi) astra esse animata; unde et Ambrosius hic per religionem angelorum, cultum stellarum accipit. Sed quia incertum est an tempore Christi Iudæi fuerint idololatriæ saltem publicæ, imo tunc Iudæos non fuisse idololatrias docet R. Samuel Marochianus, lib. *De Adventu Messie*, et alii permulti; rursum, quia passim hæc epistolis et hoc præsertim cap. Paulus insectatur hæreticos:

¶ Illico *tertio*, alii per religionem angelorum intelligunt Iudaismum et religionem Judaicam, que humilis fuit et abjecta in carnalibus victimis, ceremoniis et Iustrationibus corporalibus. Ut sihendiadys: « Nemo vos seducat in humilitate et religione angelorum, » id est in religione humili angelorum, puta in Iudaismo, qui datus est Mosi per angelos in Sina, *Galat. iii*, 19, quasi Apostolus velit Colossenses a Judaicis ceremoniis avertere et deducere ad Christum. De Iudaismo enim præcessit: « Nemo, ait, vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum. » Et sequitur, vers. 21: « Ne, ait, tetigeritis, neque gustaveritis. » Verum cum sepe hic et alibi Iudaismum insectetur Apostolus, nusquam tamen eum vocat religionem angelorum. Et quorsum tam obscure Iudaismum significaret, cum verbis præcedentibus jam citatis, clare cum cavendum moneret et expresserit? Idem nullis aliis quæ paulo post afferam, refutari potest. Aliam ergo hic sectam a Iudaismo, de quo vers. præced., insectatur Apostolus.

¶ Quapropter *quarto*, verisimilis videtur eum arguere hæreticos semijudæos, inquit Theodoretus, et simpatronicos, idque colligi videtur ex vers. 8, 16 et 20. Sicut enim Plato, teste Augustino, lib. VIII *De Civit.* cap. xii et seq., deos quosdam ponebat medios: Ad Simon, Menander, Saturninus, Cerinthus, Basilides, Sethiani, Caiiani, angelos ponebant quasi minores deos, qui homines mundumque fabricassent et per Prophetas locuti essent. Imo Cerinthus angelos aiebat Christum, utpote puro homine, esse nobiliores, tum quod sunt puri spiritus, tum quod consabat eos esse mundi opifices, adeoque Deum hæbræorum, qui eis legem dederat in Sina, angelum fuisse assererat. Unde contra hos Apostolus loties hic et *Ephes. cap. i.* et *Hebr. i.* super angelos extollit Christum,

factique Christum opificem omnium. Hoc de causa quoque *Apoc. xxi*, 9, noluit angelus adorari a Joanne. Testes hærum sunt Clemens, lib. VI *Const.*, cap. X; Epiphanius, in hæresi Simonis, Menandi, Cerinthi et aliorum jam dictorum; Ireneus, lib. I, cap. xx et seq.

¶ Dicet: Idem hæretici Simoniani docebant angelos male sua potestate esse usos, maleque orbem rexisse, ideoque a Deo redactos esse in ordinem; neque adorationis eorum meminerunt. Respondeo, quod male mundum rexerint, et redacti sint in ordinem, aliqui ex Simonianis dixerunt, non omnes; verum qualescumque ipsi angelos finxerint (errantes enim et mendaces facile sibi contradicunt), finxerunt pariter eos esse quasi minores deos, opifices et gubernatores hominum et mundi; imo aliquos ex eis, puta Principatus et Potestates, esse animarum purgatores, salvatores et mediatores ad Patrem, loco Christi, eoque excluso.

¶ Ita Epiphanius, in hæresi Simonis, docet Simonem Magum decessisse animas purgari per nomina certa Principatum et Potestatum in singulis cælis habitantium, perque sacrificia et jejunia iis, et per eos, Deo oblata. Sic enim loquitur Epiphanius: « Idem (Simon), ait, nomina quedam supponit Principatum et spirituum, cæloque diversos tradit, et in unoquoque firmamento ac in celo virtutes quasdam exponit et nomina barbara his indit; non posse vero aliter servari aliquem, nisi hunc mysterium ductum didicerit, et alia sacrificia patri universorum per eos Principatus et Potestates obtulerit. » Hæcque illi est animarum purgatio, quam Apostolus ubi Christo attribuit.

¶ Idem Epiphanius, in hæresi Caiianorum, expresse invocationis angelorum meminit, qua Caiiani utebantur in rebus turpibus. Hæc sententia probabilis est; verum paulo generalior est. Est enim communis omnibus gentibus quas Simonis et Cerinthi hæresis pervasit, non propria Colossensibus, de quibus dicere Apostolus. Adde, Cerinthum, qui præ reliquis angelos Christo præponebat, adeo angelum Iudæorum, quorum legem ipse colebat, non adorasse, ut patet, teste Epiphonio, enim malum diceret et detestarentur.

¶ Quare mihi sepe accuratius hunc locum expendenti hæc veriora sunt visa, quæ ex ipso Apostolo colligi possunt. *Primo*, hanc hæresim et religiem angulorum ortam esse a Philosophis; id enim Paulus initio prænuentis et sternens id enim hæresim confutandam vers. 4 significat, dicens: « Nemo vos decipiat in sublimitate, » et vers. 8: « Videte ne quis vos decipiat per philosophiam. » Philosophi hi Platonicæ opiæ sunt, qui deos medios animarum purgatores confinxerunt, uti jam dixi ex Augustino.

¶ *Secundo*, certum est hunc errorem in eo situm fuisse, quod dicerent angelos digniores esse

Christo et præ Christo excellentiori oculi riu colendos esse, tanquam ipsi servatæ essent et mediatores hominum, non autem Christus; hoc enim est quod hic ait: « Non tenens caput, » Christum scilicet. Et hæc de causa dignitate et præminentiam Christi super angelos tam Audiose cap. i et alibi inculcat Apostolus, eaque est communis sententia Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Eumenii et aliorum.

¶ *Tertio*, origo et occasio huius erroris videtur fuisse hæresis Cerinthi, qui in Christo Deum dividebat ab homine, dicebatque Iesum fuisse purum hominem, sed in eum descendisse Christum Dei Filium, ac in passione rursum ab eo in celum recessisse. Inde enim inferebat Iesum indignum et indignum esse mediatoris Dei et hominum officio; cumque ipse Deus et Dei Filius mediator esse non possit, necessario consequi, angelis, qui inter Deum et homines natura sunt mediæ, hoc mediatoris officium uti debitum, ita et tributum esse a Deo.

¶ *Quarto*, ex hoc dogmate Cerinthi et Platonicorum, nonnulli similes novorum dogmatum studiosi Colossis et Laodiceæ, que Colossis adiacet, videntur commentum novam sectam et religionem angelorum, ut docet hic Theodoretus: nimirum uti excluso Christo duerent angelos habendos et colendos quasi mediatores hominum, modosque eos invocandi, ac per jejunia et abstinentias superstitiosas sibi conciliandi præscriberent.

¶ Id præbatur *primo*, quia nusquam alibi Apostolus, aut quis alius facit mentionem huius religionis angelorum, nisi in epistola hæc ad Colossenses: ergo verisimile est peculiariter hanc hanc fuisse sectam. Imo in epist. *ad Ephesios*, quam sub idem tempus scripsit, et in epist. *ad Hebræos*, ubi studiose super angelos Christum extollit, huius religionis et superstitionis angelorum non meminit; cum tamen ibi et alibi sepe Cerinthum insectetur, uti jam dixi. Fuit ergo hæc propria hæresis a Cerinthi hæresi diversa, licet ex eius principis deducta.

¶ *Secundo*, quia Laodiceæ, quæ Colossis vicina est, hæc hæresis viguit, ut docet Concilium Laodiceum *can. 33* jam citato, si lectionem Theodoretus et plurimum aliorum sequamur, vocaturque idololatria, quæ non palam, sed occulte fieret. Fuit ergo peculiaris hic cultus et superstitio angelorum, quam Theodoretus quoque in Phrygia et Psidia, id est juxta Colossas et Laodicæm, videri guisse testatur.

¶ Præbatur *tertio*, quia hanc religionem describens hic Apostolus dicit eam sitam in humilitate, id est, in humiliter gestu se prosternendi et adorandi angelos; subdit deinde eam latere falsas angelorum visiones. Rursum, non tenere caput, id est Christum excludere, ut angelos suum stantiam caput. *Tertio*, vocat *idololatricam*, id est confictam religionem et superstitionem. *Quarto*, eius præcepta explicat, dicens: « Ne tetigeritis,

strabo  
manichæus  
bapt.

Secundum  
hic est  
deus et  
astra et  
mundi  
substant.

Tertio,  
religionem  
angelorum  
esse Iudaicam,  
quæ per  
angelos  
data est  
in Sina.

Quarto,  
damnari  
hic Simonem  
et  
Cerinthum,  
quosque  
colabant  
quasi  
minores  
res deorum  
mundi  
opifices.

Auctoritas  
sententia,  
damnari  
hic præ  
cepta hæ  
reticos  
Angelorum  
qui  
Christo  
angelos  
ponebant  
mediato  
res.

¶ Fuisse  
hanc re  
ligionem  
tunc hæ  
resis  
probatur  
tribus ra  
tionibus.



neque gustaveritis, neque contractaveritis. » Reliqua eorum dogmata ac ritus, cum neque Paulus, neque quisquam alius recensent, nos divinam non possumus. *Quinto*, videntur hi fuisse haeretici idem cum iis, qui ab Epiphano, Augustino et aliis passim vocantur Angelici: hos enim omnes qui de iis scribunt, ponunt distinctos a Simonianis, Cerinthianis illisque haeticis: et horum antiquissima aeresis non videtur fuisse alia, quam haec superstitiosa religio et cultus angelorum; indeque nomen sumpsisse videntur, ut vocarentur Angelici. Ita S. Augustinus, *haeresi* 39: « Angelici, ait, in angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defecisse testatur. » Et Inquil, in *Catalogo haeresum*: Angelici, inquit, dicitur sunt ex eo quod angelos adorarent. Ponit ipse eos sub annum Christi 199, forte quod excisi aut retusi hic a Paulo, sub anno illum postea revigerint et rursum majori augmento succreverint. Idem testatur Alfonso a Castro, lib. *De Haeres.*, verbo *Idololatria*; quancquam Epiphanius dicat ignorari, an Angelici sint dicit ab angelorum cultu, an ab Angelina urbe, an quod angelicam puritatem presumerent.

Quicumque Angelici haeretici

Colossae viginti hinc haeresis, quae corrupta transiit in purum et rectum angelorum cultum.

Denique adverte hic, Colossis superstitutionem hanc postea in sincerissimum angelorum cultum esse versam. Patet ex celebri illo Michaelis templo, quod erat Chonis (ita postea dicte sunt Colossae, ut patet ex Theophylacto et Oecumene hic, atque ex Niceta Choniata, lib. VI *Annalium*, initio), cujus festum ex celebri miraculo ejusdem Archangeliconsignat *Græca Menologia*, 6 septembris: vide notaciones Baronii ad *Bonnanum Martyrologium*, die 8 mair. Oratoria vero S. Michaelis, quæ tempore Theodoretii (ut ipse narrat) Colossis visebantur, incertum est qualia fuerint et quorum: an haeticorum, quos suggillat hic Paulus; an Catholicorum, superstitutionem haeticorum reformatum.

**QUE NON VIDIT AMBULANS.** — id est, ut clarior vertit Hieronymus ad *Algas*, Quæst. X, et Vatablus, in *his que non vidit, fastuosus incedens*. Hoc enim est *ἰψόθυτος*, quod dicitur a tragicis othurnis, qui *ἰψόθυτοι* dicuntur; quod in his sublimis et fastuosi incedant, qui regem aut Deum agunt in tragœdia, ait Erasmus.

**Secundo**, S. Augustinus, *epist.* 59, vertit, ea que non vidit, *inculcans*. Tertio, Ambrosius legit, ea que vidit, *extollens*, ablata negatione non. Quarto, verti posset ex Budæo et Hesychio, in *his que non vidit, pedem ponens*, eaque occupans et possidens: *ἰψόθυτος* enim per ὄ aliquando, inquit Hesychius, idem est quod occupare, puta locum, domum, hereditatem; sed hic non per ὄ, sed per ῥ scribitur. Primus ergo sensus maxime Græco convenit. Hisce verbis insinuat Paulus hosce Novantes fictas angelorum visiones et revelationes jactasse. Ita Tertullianus, lib. V *Contra Marcion*, cap. xix. Sic fecisse Cerinthum testatur

Theodoretus, lib. II *Haeret. fabul.*, cap. iv. Sic de Juda Galilæo tradit S. Anastasius Antiochenus, lib. *De Variis questionibus Scripturæ*, quem Obergius inscripsit, ejus dogma fuisse profiteri phantasias, sive visiones angelorum, pretextu religionis. Sic Numa Pompilius jactabat se a dea Egeria edoceri, et Mahometes suis persuasit se suam legem et Alcoranum a Spiritu Sancto accepisse per auroreum, quam cicuraverat et assuefecerat ad eum suam advolare, ut videretur ei in aurem loqui, et mysteria suæ sectæ suggerere.

**FRUSTRA INFLATUS SENSU CARNIS SUE.** — id est frustra superbiens sensu et mente (Græce enim est *ψυχῆ*) sua carnali, quasi cognitionem, imo visiones habet rerum sublimium, puta angelorum rerumque cœlestium. Vocat scientiam horum errorum carnalem, quia humano carnalium hominum spiritu adinventata et tradita erat.

**19. ET NON TENENS CAPUT** (scilicet Christum, sed pro Christo angelos substituitis. Ita Theodoretus, Anselmus et alii), ex quo (capite Christo) totum corpus (Ecclesiæ) per nexum et conjunctiones subministratum (id est subministrationem accipiens spiritus, motus et sensus vitalis a capite) et constructum, crescit in augmentum Dei, — q. d. Sicut spiritus vitalis, qui ad vitam, sensum et motum est necessarius, a capite in totum corpus per nervos, juncturas et articulos diffunditur, itaque singulis membris facultatem sentiendi et movendi impertit: sic spiritus gratiæ a Christo quasi capite in membra illi connexa, puta in fideles Christianos, per juncturas mutue unionis et charitatis derivatur, illisque spirituales vitam et motum suppetdat; itaque totum Ecclesiæ corpus crescit in augmentum Dei, id est, ut Syrus, crescit augmento Dei, puta incremento fidei et spiritus Dei. Ita ex Chrysostomo Theophylactus. Similis, imo idem, est hic locus cum illo *Ephes.* iv, 16, de quo plura ibidem dixi.

**20. SI ERGO MORTUI ESTIS CUM CHRISTO AB ELEMENTIS HUIUS MUNDI** (quid adhibet tanquam viventes in mundo decernitis? — Nota primo, « mortui estis ab elementis, » id est mortui estis elementis.

**Secundo**, « elementa mundi » vocat vel legem Mosis (quæ quasi rudimenta docebat fidei et vitæ sanctæ, cujus perfectionem docet Christus, ut dixi *Galat.* iv, 3 et 9); vel potius principia et dogmata Philosophorum carnalium et mundanorum de cœlis, angelis, eorumque cultu, et ritibus ac observantiis carnalibus et mundanis, ut quæ Plato et Simon atque Angelici docuerunt de purgationibus animarum per angelos, quæ nihil habent consentaneum cum Scriptura, fide, Christo: hæc enim « elementa mundi, » vers. 8, vocat « philosophiam et inanem fallaciam, » ut ibi dixi; rursum vocat ea vers. 22, « præcepta et doctrinas hominum. » Ergo de dogmatibus hisce Philosophorum loquitur, non de præceptis legis Mosis: hæc enim non hominum, sed Dei fuerunt præcepta.

**Tertio**, « viventes in mundo, » id est in elementis (hoc enim brevitate studio ex proxime dictis repetendum relinquunt) mundi, vocat Philosophos eorumque ascetas, qui secundum elementa jam dicta vivunt, angelosque colunt.

**Quarto pro decernitis**, Græce est *ἀποκρίσεις*, quod vel active verti potest *dogmatizatis*, docetis, decernitis; vel passive cum Chrysostomo, *dogmatizantibus*, docemini, decretis tenemini horum elementorum mundi, q. d. Cum per Christum mortui sitis et renuntiaveritis Christo contrariæ, que non sunt secundum Deum, sed secundum elementa mundi, id est secundum principia naturalia et mundana, vivere docet; cur iterum ea repetitis, quasi rursum secundum hæc mundi elementa vivere velitis? Perperam ergo Beza *ἀποκρίσεις* vertit, *ritibus ceremoniis*: aliud enim est dogma, aliud ritus.

**21. DECERNITIS** (dicentes scilicet id quod sequitur? NE TIGERITIS, NEQUE GUSTAVERITIS, NEQUE CONTRACTAVERTIS. — Supple, hoc cadaver, hanc ministratam, ne polluatini, juxta legem Mosis; « neque gustaveritis, » scilicet carnem suillam abosque cibos lege veteri vitulos et immundos, q. d. Lex illa veteri jam abolita est; quid ergo ejus ceremonias observandas esse creditis et decernitis? Ita Chrysostomus, Theophylactus et Ambrosius.

**Secundo et germanius, q. d. Quid ex hæresi et religione angelorum decernitis, his illisve cibis aut creaturis esse abstinentum?** dicentes, v. g. Ne tegeritis uxorem et gustaveritis vinum aut carnem, quia hæc a malis angelis creata sunt et bonis angelis displicent, de quo plura I *Timoth.* iv, 2. Hæc enim, ut dixi vers. præced., non tam ad Judaizantes, quam ad Philosophos et religionem angelorum de qua proxime præcessit, pertinent, ut docet S. Augustinus et Hieronymus supra, et Tertullianus, lib. V *Contra Marcion*, cap. xix: « Taxat, inquit, eos qui ex visionibus angelicis, quasi de angelica superstitutione docebant certis cibis abstinentum esse. » Et Clemens, lib. III *Stromat.*: « Colentibus, inquit, angelos et demones, curæ est vino, esu carnis et venere abstinere. »

**22. QUE SUNT OMNIA IN ITERITUM IPSEO USU, SECUNDUM PRÆCEPTA ET DOCTRINAS HOMINUM.** — q. d. Que observantia superstitiosi cultus angelorum jam dicte interitum adierunt et damnationem eternam iis qui ea observant, in iisque et in suis angelis, quos ita colunt, sperant, non autem in Christo. Ita Ambrosius et Augustinus.

**Secundo**, S. Hieronymus et Chrysostomus cum suis, referunt hæc ad Judaicas observantias, de quibus dixit vers. 16: « Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, » q. d. Frustra anxiamini circa Judæorum ac judaismi cibum ac potum, quæ intererunt, corrumpuntur et in secessum emittuntur. Sed prior sensus genuinus est, ut patet ex dictis. Hinc patet quæ hic vocat et damnet præ-

videtur de philetis exponitur.

cepta et doctrinas hominum, nimirum vana, futilla, erronea, hæretica fanaticorum aut errantium hominum commenta et somnia ut dixi vers. 8.

**23. QUE SUNT RATIONEM QUIDEM HABENTIA SAPIENTIE IN SUPERSTITIONE, ET HUMILITATE.** — Pro superstitiosa, Græce est *ἰδωθηναια*, quod Turrinus, lib. V *Pro epistol. Pontif.*, cap. vii, contrarie vertit, scilicet religionem et verum Dei cultum, q. d. Paulus: Abstinentia a cibis jam dicta, licet impietas sit et insipientia, si ob somnia hominum et fabulas angelorum superstitiosæ fiat, est tamen sapientia, si ad *ἰδωθηναιαν*, id est veram religionem et Dei cultum, referatur, videlicet ad humiliandam animam in jejuniis et ad corpus castigandum, spirituique subdandum. Verum *ἰδωθηναια* non veram religionem, sed falsam et superstitiosam significat. Componitur enim ex *ἰδω*, id est volo, et *θηναία*, id est religio, q. d. Voluntaria et ex cerebri conflictu religio. Unde Hieronymus, ad *Hebræum*, falsam religionem interpretatur; Ambrosius, superstitutionem: sic et Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus.

Veris 23 ἰδωθηναια.

**Nota secundo**: Pro *rationem*, Græce est *λογος*, quod Vatablus vertit, *speciem*; Chrysostomus, *sermonem*; Noster, *rationem*, q. d. Paulus: Falsa hæc religio, sive superstitio angelorum, qua abstinentiis et observantiis a se confectis, ut jam dixi, colunt angelos quasi mediatos, exclusæ Christo, videtur afferre rationes et sermones sapientes, et quasi a Deo, vel angelis profectas, quas in speciem pietatis obtendant sua superstitutioni: dicunt enim se id facere ad humilitatem modestiam, corporis afflictionem et subjectionem. Et hoc est quod ait: « In humilitate, » scilicet ficta et superstitiosa: *ἰδωθηναια*, sit repetendum est, ut, sicut dixit *ἰδωθηναια*, sit pariter *ἰδωθηναια*, id est tam humilitatem quam religionem voluntariam, et ex proprio cerebro et voluntate confictam intelligat.

**ET NON AD PARCENDUM CORPORI** (Græce, *καὶ ἀπαρῆς σώματος*, id est *imparcentia corporis*, q. d. Hi Novantes speciem sapientia et pietatis pretextunt sua simulata humilitate et abstinentia, ac vitæ austeritate, qua corpori non parcunt, sed illud immoderate et superstitiosè affligunt), NON IN HONORE AD SATURANDUM CARNIS. — id est negato corpori honore, vel subsidio necessario ad famem exsaturandam. Honor enim Hebræis non tantum verbalis, aut ceremonialis, sed et realis est; qui non est aliud, quam necessarium rerum vel opum subministratio. Dicit hæc Paulus reprehendendum Novantium superstitutionem et stultitiam ex commiseratione, quod nimirum ob fabulas et somnia sua, quasi angelos culturi, superstitiosè et sine fructu, imo cum damno corporis et animæ se jejuniis et penitentia conficerent.

Hæc ergo est angelorum, quæ hic Apostolo damnatur, *ἰδωθηναια*, id est voluntaria religio,



ex sola propria, vel Simonis, vel Cerinthi, vel Angelicorum voluntate et phantasia adinventi, præter, imo contra Christum et legem Dei; ideoque, teste Paulo, erat doctrina hominum, ac consequenter falsa et mera superstîtio.

Omnis enim vera religio, omnisque verus Dei cultus voluntate Dei sive præcipientis, sive consulentis, sive approbantis, vel per se, vel per suam Ecclesiam suoque in terris vicarios, institui debet. Hæc ergo angelorum religio, humilitas et abstinentia erat superstîtiosa, primo, quia a Cerintho et Angelicis conficta erat contra legem Dei; secundo, quia angelos adorabant quasi minores deos, opifices et gubernatores mundi; tertio, quia eos colebant quasi mediores et purgatores animarum, loco Christi Christoque excluso; quarto, quia fingebant se angelos vidisse, qui præcipere hunc cultum, humilitatem et abstinentiam immodicam. Sic Dæmon hodie multis in specie angeli illudit, ut corpus nimis penitentis et jejunis conficiat; imo aliquibus, ut se occidant. Hunc esse sensum et mentem Apostoli patet ex dictis, et ex scopo illius: tota enim epistola non Monachos christianos, sed hereticos Judaizantes et pseudophilosophos insectatur. Ita Hieronymus supra, Augustinus, *epist.* 39, Theodoretus, Chrysostomus et alii passim, et novissime Gabriel Vasquez, lib. III *De Adoratione*, cap. vi.

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Hortatur ad studium et desiderium verum celestium: inde ad mortificationem vitiorum, vers. 3.*

*Et vers. 10, ad renovationem mentis per misericordiam, humilitatem, patientiam.*

*Tertio, vers. 14, præ omnibus commendat charitatem, pacem, cantica spiritualia, utque omnia faciant ad gloriam Christi.*

*Veniens, vers. 18, incitatis eis sinceram obedientiam, quam uxores maritis, filii parentibus, servi dominis non ad oculum, sed ex animo præstare debent.*

1. Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: 2. quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. 3. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. 4. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. 5. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus: 6. propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: 7. in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. 8. Nunc autem deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem ac ore vestro. 9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. 10. et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit in m. 11. Ubi non est mendacium et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scythia, servus et liber: sed omnia, et in omnibus Christus. 12. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem,

Hinc clare patet præcepta et consilia Evangelica, eaque quæ ex eis deducuntur, puta constitutiones monasticas et Pontificias, voluntarias abstinentias et penitentias, non esse *divinæ voluntatis*, et superstitionem, ut vult Kemnitius, Marlortus et Beza, sed esse *hæcæreticam*, verumque Dei cultum; quia tenent caput, puta Christum, et consentanea sunt divinæ voluntati, quæ Deus per Christum in Scriptura præcipit, vel consultit, vel abnegationem, mortificationem, contemptum, pauperitatem, eaque probat Ecclesia (quæ Scripturæ et voluntatis Dei est interpres) quasi instituta secundum Evangelium, valdeque apta ad fovendam et augendam animi humilitatem, religionem, charitatem et pietatem.

Denique perperam Calvinus cultum reliquiarum Sanctorum vult esse *idololatricam*, tum quia de eo non loquitur hic Apostolus, tum quia rationi, Scripturæ et voluntati Dei consentaneum est, ut honorem Sanctos, eorumque corpora, quasi templa Spiritus Sancti: vult enim Deus ita Sanctos quasi amicos et filios suos a nobis honorari; non ergo hic cultus potest vocari voluntaria et contra legem Dei conficta religio, sed potius pura et grata Deo religio: qui enim Sanctos eorumque reliquias honorat, honorat Deum qui omnis sanctilitatis eorum est auctor: sicut qui filios et principes regis honorat, regem ipsum honorat.

Constituta  
monasti-  
ca et  
Pontifi-  
ca non  
sunt  
divinæ  
voluntatis

Contra  
religiosum  
Sanctorum  
cultum  
non  
est  
divinæ  
voluntatis

modestiam, patientiam: 13. supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. 14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. 15. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. 16. Verbum Christi habitat in vobis abundanter in omni sapientia, docentes, et commententes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. 17. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. 18. Mutures, subdite estote viris, sicut oportet, in Domino. 19. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. 20. Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. 21. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. 22. Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. 23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus: 24. scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. 25. Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit: et non est personarum acceptio apud Deum.

1. Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. — Est hæc altera epistolæ pars ethica, quæ a dogmaticis transit ad mores, incitaturque Christianos ad vitam Christo dignam, a vitiis puram, sanctam et celestem transigendam.

Nota: Tercio igitur est illativum ex dictis cap. præced. ibi enim docuit nos in baptismo cum Christo resurrexisse: inde hic infert: ergo nobis agenda est vita celestis.

Secundo vox si non est dubitantis, sed potius asserentis: namque idem quod *quodcumque*.

Tertio, *quodcumque* est typus mortis, sepulture et resurrectionis Christi, ut ex Apostolo docuit Rom. vi. 3; ipsa enim demersio hominis in aquam significat Christi demersionem in mortem et sepulcrum: ipsa vero emersio hominis jam baptizati ex aqua, significat Christi emersionem ex morte et sepulcro, id est resurrectionem, *q. d.* Quodcumque, o Christiani Colossenses, cum Christo capite vestro resurgente a mortuis, vos in baptismo, qui typus est mortis, sepulcri et resurrectionis Christi, ex infidelitate, superstitione, peccatis et vitiis emerisistis ad vitam novam, Christianam et beatam inchoandam; «querite» mente et studio, omnique cura, sollicitudine et conatu, non bona terrena, quæ deorsum, sed ea «quæ sursum sunt», id est æterna bona, scilicet gloriam celestem (in qua Christus est, vobisque locum parat) quasi finem; et mores, virtutes ac vitam celestem, quasi medium congruum, et a Deo ordinatum ad illum finem assequendum; eaque «sapite» per sapientiam, scientiam, affectionem, gustum, desiderium, cogitationem et meditationem rerum spiritualium, celestium et divinarum: hoc enim est Græcum *υποσκελετο*. Christiano ergo sapiant celestia, desipiant terrena; perinde ut homini desipiunt pilulæ, et phar-

maca amara; unde ut ea non sentiat nec sapiat, illico et integra si potest transglutit: ita plane fidei insipida sint omnes terrene deliciae et pompæ, quia sapor celestium tantus est, ut reliqua omnia videantur insulsa et amara: cibis tamen cælestibus utendum, sed quasi pharmacis, juxta illud S. Augustini, lib. X *Confess.*, xxxi: «Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamentum, sic alimenta sumpturus accedam.»

Unde S. Bernardus, serm. 6 *De Ascensione*: «Si consurrexistis, ait, cum Christo, quæ sursum sunt querite, etc. Ac si manifestus dicat: Si consurrexistis, et conscendite; si convivitis, et conregnate. Sequamur, fratres, sequamur Agnum, quocumque ierit: sequamur multo libentius, ascendentem. Crucifigitur vetus homo noster simul cum illo, ut destruat corpus peccati,» etc. Idem, serm. 4 *in Paschate*: «Quicumque, ait, post lamenta penitentiae non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam divine miserationis excedit, ingreditur novam quamdam devotionem, et gaudium in Spiritu Sancto, nec tam compungitur præteriorum recordatione peccatorum, quam delectatur memoria, et inflammatur æternorum desiderio præmiorum: *id est* tunc est qui cum Christo resurgit, qui pascha celebrat, qui festinat in Galileam. Vos ergo, charissimi, qui sursum sunt consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, etc., ut a seculari lœtitia, et consolatione mundi per compunctionem, et tristitiam quæ secundum Deum est, ad devotionem sanctorum, et spiritualem vos transire gaudeatis exultantem: ipso præstante qui transit ex hoc mundo ad Patrem, et nos quoque trahere post se, et in Galileam vocare dignatur, et semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.»

Itaque quæ Plato in *Cratyllo*: Homo, inquit,